

8
106
RÖPL.

426

1599



3690.
quart. 12. 12. 12.
CHRISTOPHORI
VARSEVICII

TVRCICAE
TRES.



PRAGÆ
Typis M. Danielis Adami
à Velešlavina.

M. D. XCIX.

Bartholomaeus Flaxio p. author dicit. 25 May 1890



CHRISTOPHORI WARSEVICII TVRCICA PRIMA.

SUPERAVIMVS TANDEM mirabilem annum, & haud dubiè adhuc acturi sumus mirabiliorem, si diuina non cessauerit ira, quæ sceleribus nostris quotidie provocatur. Videre est quidem, singulorum mensium numero, cladum memorabilium numerum, in eo anno respondisse. Quæ omnia mala, & Reipub. funera, tanquam ex quodam fonte, ex ciuili Christianorum scaturire discordia, sani intelligunt, & ijs maiores motus & conversiones circumspectant. Nam ut singulorum mensium percurramus spatia, & memoriam calamitatum recordemur omnium, Mensis Ianuarius, in Silesia Bicinensi conflictu, Februarius, Belgarum motu, Martius, Turcarum in Perside clade, Aprilis, regis Daniæ morte est nobilitatus. Maius, Luteciæ Parisiorum tumultu, Iunius, classis Hispanicæ ab ultimis Lusitaniæ oris nauigatione, Iulius, Arabum in Turcas seditione, Augustus, nauali pugna, September, deditione Bonnenensi, October, Hungarica de Turcis victoria memoratur. Nouember deniq; armorum in Sabaudia strepitu, &

A ij Decem-

December, obsidione Bergensi, & Antistitum atq; Ducum in Gallijs nece est insignis. Quæ ut magna sint omnia (ut certè sunt maxima) maioribus tamen malis & ærumnis materia quodammodo comparatur. Obest ad sua suorúmque; retinenda potentioribus invidia: vexat imbecilliores potentia: est, qui anticipi contentione distrahendis potentioribus, aut tutiores, aut meliori loco suas futuras res opinatur, sed fallitur. Hoc enim modo, Palæologis in Græcia distrahendis quidam, qui prouincias Græciæ per id assequi posse existimârunt se, non modò illas, sed etiam suas proprias amiserunt. Sunt, qui vicinorum calamitatem, veluti quandam grandinem in agro inspectant alieno, & Polyphemi beneficio, qui devorandis Vlyssis socijs, eum fore postremum pollicebatur, sunt contenti. Utinam quidem id, quod sequuntur, assequantur. Sed ego video ab hac tam immani Turcica bellua, etiam socios ipsos, opinione celerius nonnunquã devorari. Apparuit olim id in Rege Bosniæ, apparuit in regis Ioannis Hungariæ posteritate, apparuit nuper in Venetis ipsis Cyprio regno perfidiosè spoliatis, ne aliorum exempla, quæ multa sunt, persequamur. Magnæ deniq; quibusdam videtur esse prudentiæ, suam & hostium metiri potentiam, & quoad eius fieri maximè potest, cum hoste vicino & potenti sua etiam cum iniuria colere societatem. At enim hoc ipso

ipso modo Poloni amiserunt Valachiam. Qui dum Solymanum Turcam Petro Valachiæ Palatino castigando timuerunt, ipse quidem ijs petentibus, à gubernaculis Valachiæ eum amovit: sed eo etiam ipso tam nobilem provinciam, quæ in fide & clientela regni Hungarici & Polonici tam diu fuerat, suæ effecit potestatis. Non enim solùm vi & potentia, verùm etiam arte & consilio, regna & prouinciæ occupantur. His tamen omnibus non obstantibus, Christianos Principes à tam potenti hoste Turca irritando, Vladislai ad Varnam & Ludouici ad Mohaccum casu, verbis (ut fit) exaggerando, dehortari audimus non neminem: quasi etiam Christiani nullas de Turcis victorias vicissim habuissent: & perinde, ac si duo illi iuvenes reges, iuuenilis fervoris, & rei inconsideratè coeptæ, quàm belli iniusti pœnas persoluisse non magis videantur. Nam quod ad victorias Christianorum attinet, ut vetustiores, quæ sunt infinitæ, taceantur, Ioannes Huniades Matthiæ regis Hungariæ pater, antequam ad Varnam prælium committeretur, nescio si non uno anno, septies vel octies collatis signis Turcas profligavit. Quoties verò Scanderbegus eos fudit? Quoties rex Matthias Hungariæ castris exiit? Quoties Veneta Respub. terra mariq; de ijs triumphavit? Sed non hoc agimus, non in Turcicis aut Christianorum, tam secundis quàm adversis, commemorandis prælijs nostra

versatur oratio. Aliud nobis propositum est, ut nimirum, quibus nunc difficultatibus implicatus Turca hæreat, quæ Christianis occasio eius debellandi oblata sit, altiùs animo & cogitatione contemplemur. Mentis quippe acies, ad cernendas suis oculis res, non adhibet corporis advocatos. Et erit, qui dubitare possit vel debeat, quanta bene gerendæ contra Turcas rei iam oblata sit occasio? cum fractas Turcicas in Perside vires, exhaustum ærarium, veteranum desiderari militem, multas in Turcico Imperio exoriri passim seditiones, videamus. Quæ omnia simul iuncta, ad quævis magna imperia evertenda, sufficiunt. Atq; haud scio si magnis, quàm mediocribus, non sint calamitosa magis. Etenim sicuti magna ædificia, quæ ruere incipiunt, difficulter fulcias, & hinc inde concidentes angulos à ruina tueare: sic etiam vasta & grandia imperia, simul ac domi & foris suspicio increbuit armorum & seditionum, mole sua ruunt, & tot ac tantis difficultatibus, quibus vndequaq; distinentur, non resistunt. Verùm nos Christiani hoc curamus, scilicet? Quid ita? Quia inter nos ipsos, hi cupiditate habendi, illi consuetudine invidendi, multi otio sine dignitate tuendo, plures occulto odio inter se alendo, omnes tandem ad interitum ruimus voluntarium. Nihil autem tam est volucre, quàm occasio: nihil leuius perditur, nihil periculosius amittitur, nihil ægrius recuperatur.

peratur. Quod num ita vel secus se habeat, præteritarum occasionum momenta, & quid ijs amissis tandem secutum sit mali, breuiter memoria repetamus. Ut enim præterita faciliùs reprehendi, quàm corrigi posse videantur: homines tamen ijs, ne in eisdem laqueos incidunt, admonentur. Capto à Tamerlano Baiazete, leues & temerarij Græci omnem ipsius sobolem stirpitus evellere potuerunt. Id quidem tantum abest ut fecissent, ut etiam paulò post Turcicis auxilijs in viscera Græciæ asciscendis gradum in Europa Imperij ijs fecerint, & serò suas dissensiones deplorarint. Quid? Nonne bellum erat Turcis sub altero Baiazete intestinum? nonne Selimus paternæ struxit vitæ insidias? nonne Baiazeti frater Zizimus apud Alexandrum VI. Romæ degebat? qui Christianis egregiam operam contra fratrem nauare se pollicebatur. Tamen hæc in cassum abiëre omnia. Zizimus à quibusdam veneno sublatus est, Baiazetes à Selimo filio: qui ut est imperium adeptus, Syros, Arabes, Caramannos, nescio si non una ætate, vicit: & Zoldano etiam Ægypti debellato, dominatum suum in immensum propagavit. Nemo erat, qui id impedivisset: nemo qui, quanta hinc in Rempub. manebant pericula, providisset. Etenim quantò imperijs Tyrannicis maior fit accessio: tantò vicinos manet gravius periculum servitutis. Supervenit demum terror gentium,

tium, & procella Christiani orbis Solymanus, & huic, quod cum Mustapha filio, quod cum Persa ageret, fuerat: cuius etiam filij Baiazetes & Selimus, ad Anasum secum pugnarent. Sed ne tum quidem aliquid Christianis inter se dissidentibus fuit in Turcas animi, vel in consilijs firmitatis. Quid Selimus ad Naupactum victus? An non breui post vires & animum recollegit? & quod Veneto legato Byzantij dixit, id re ipsa praestitit: quod classis, quam amiserat, ceu quaedam barba ei succreuit. Cyprus verò ab ipso, non secus ac dextra manus, Venetis est amputata. Iam verò Amurates iste Turcarum Imperator, quam magno & diuturno bello in Perside distineatur, quam grauius laboret, quam rebus suis diffidat, quantas etiam denuo in Asia & in Africa seditiones contra se experiatur, omnes vident. Nemo tamen Christianorum regum aut principum arma in eum capit: nemo in communio- nem temporum aliquid confert: nemo Christianis ijs, qui sub Turcico iugo sunt, & libertatem recuperare cupiunt, vel tantillum auxiliatur: nemo tam praesentis quam praeteritae rei bene gerendae occasionis, vult meminisse: acciditq; illis idem, quod in pecuniarum possessione usu venit. Si enim pecunias eas, quas semel parauerint, incolumes homines conseruauerint, ingentes habent Deo Opt. Max. gratias: sin secus, consumptis pecunijs, ut etiam ei, cui hoc nomine debent, gratias

gratias agant, non recordantur. Ad eundem modum si minus recte usi sunt tempore, & occasione, commodorum etiam eorum, quae inde habebant vel habituri fuissent, veniunt in obliuionem. Posterioribus enim euentis antea actae res, ut plerumq; fit, ponderantur. Iam verò sunt (si Deo placet) Politici etiam quidam, qui sicuti naui, orta tempestate, minuendis ponderibus, sic Reipub. restringendis potentiorum viribus, Turca in Perside occupato, consulendum arbitrantur. Sed hanc tantam sapientiam pectoris mei non capiunt angustiae: imò verò videor videre mihi, si hanc opprimendi Turcam neglexerint occasionem, eos, non secus atq; etiam alios, praedam futuros barbarorum. Sic nunc demum intelligunt Rascij & Bulgari, quantum eorum expediuisset rebus, intestinos Graeciae motus sedauisse: Sic Hungari, pro Rascia & Bulgaria potius, quam pro Taurino, pugnauisse. Poloni quidem nondum animadvertunt, sicuti olim per Hungariam in Poloniam, sic per hanc rursus in Germaniam, iter Turcas meditari. Germani urbibus suis confidunt, & afflictis Hungariae rebus ut mature opem ferant, ægerrimè adducuntur. quippe pericula non nisi tum, cum praeforibus sunt, patefunt. At enim, si alicuius Christiani regis inuidiosa est potentia, Turcica inuidiosissima esse debet: si grauis est alicubi seruitus, longè durior conditio barbaricae seruitutis: si cuiusvis

B alterius

alterius obstandum est amplitudini, quanto magis istud Turcicum monstrum, ex omnium colluuiione scelerum conflatum, orbis terræ spolijs auctum, nostra verò ignauia & dissensione confirmatum, in hac fouea, in quam incidit, est obruendum. Seruiuit terrarum orbis olim Assyrijs, seruiuit Græcis, seruiuit & Romanis. At partim Assyriorum æquitas, partim Græcorum disciplina, partim Romanorum solabatur gentes humanitas. Turcis verò, quod ominari horret animus, tot nobilissimarum gentium & nationum dominis, vel potius existentibus Tyrannis, quæ non dicam spes commodi, sed scintilla solatij relinquatur? Odio ipsis est Christus, nomen odiosissimum Christiani: nihil ingenuum, nihil liberale, nihil moderatum ijs est: animus æger, manus rapaces, oculi furentes, frons fallax: plena omnia barbariei & crudelitatis sunt detestandæ: nemo ibi suarum rerum dici potest dominus, unius Tyranni cuncta patent libidini: liberi ab amplexu matrum, mariti à coniugibus, coniuges à maritis in seruitutem rapiuntur. Et quisquam dubitabit, ut alias nationes taceam, ex Sclauonico & Hungarico genere quanta Turcis fiat accessio, dogmati Mahometano pueris initiandis? Qui postea adulti arma in suos ferunt, & ea ingenita fortitudine, quæ patriæ usui esse debebat, in eius perniciem abutuntur. Hi vos, quoniam aperte loqui non licet, per Christi seruatoris nomen,

nomen, per communem salutem omnium, per amplitudinem Reipub. tacite orant & obtestantur: ut ab hac Turcica Tyrannide pristinae aliquando restituantis eos libertati. Hæcine, inquit, quam maioribus nostris refertis, est gratia? ut cum illi pro vobis, tam diu tamq; fortiter excubarent, cum laterum suorum oppositu pro aris & focis vestris depugnarent, cum fortunas & facultates suas, vitam deniq; ipsam, pro vobis profundere minimè dubitarent: vos vicissim nos in hac perpetua & crudeli seruitute relinquantis? Quid nobis non liceat etiam vos, quemadmodum creditoribus suos appellare licet debitores. Primum quidem ij mutuo datam modeste petunt pecuniâ: mox urgent solutionem vehementius: ad extremum verò, cum aliter fieri non potest, in ius vocant debitorem. Ad eundem modum nos quoq; maiorum nostrorum erga vos modeste commemoramus merita, nostra ostendimus vulnera, conquerimur calamitatem. Eo si profecerimus nihil, primum quidē dicemus, non bona fide nobiscum esse actum, ingratos & inexorabiles esse vos, qui nulla vel minima re subueniendum nobis statuistis. Postea eandem calamitatum societatem vobis imprecabimur diuinitus universis. Ac quod reliquū est, cum socios habere renuitis nos, habituri estis Turcicae profectionis duces, & vestrorum domiciliorū eversores. Hæc illi, si liceret, verba apud vos facerent:

B ij vos,

vos quem animum suscipere debeatis, cogitate. Profectò, si non Hungaricæ, non Slauonicæ gentis causa, quæ tam longè latèq; patet, vestra saltem gratia ab hoc lethargo expergiscamini. Quæ ex Hungaris, quæ ex Slauonibus, quæ ex Polonis, quæ ex Roxolanis, Turcicis viribus & militiæ accessio fiat, perspicuum est. Cui malo, an à quoquam aliquando occursum sit, res ipsa loquitur. Ac ut de Polonia primùm dicam, hæc ut dictu etiam incredibilis hominum multitudo singulis ferè annis in Turciam & Scythiam ex ea abigatur, quidvis potiùs, quàm de societate belli contra Turcam gerendi cogitat: quasi in eius fœdere & amicitia tantum sit vel fuerit firmitatis. Deinde Hungaricas res non multùm admodum curat Germania: nec quântum in ijs positum sit, cernit: nec Viennam bis à Turcis tentatam memoria perhorrescit. Cæsar quidem, quæ maxima potest, in Hungaria adiuuanda præstat: Centum & triginta milliaribus militem præsidarium in ea alit: nihil non eius causa facit, tum libenter, tum etiam studiosè. Sed nimirum, & quid ille tanto onere ferendo posse præstare, & quid amissa Hungaria Germaniæ periculorum impendere videatur, si non corporis, at saltem animi oculis, si libet, intueamur. Ducentis & amplius annis, Turcarum vim & rabiem à reliquo Christiano orbe, ceruicibus suis interclusam, Hungari tenuerunt. Plurima verò & maxima habent,

quibus

quibus ad res præclarè gerendas adiuuantur. Miles Hungarus paruo constat mercenarius, nihil nugarum in comitatu trahit, exili victu contentus est, citò eum parat, ordines seruat, præfectis suis morem gerit, in continuo usu pugnandi & velitandi est, equos præstantes habet, Turcis deniq; cædendis, & suis vicinorumq; sedibus defendendis videtur esse diuinitus destinatus: Sic ut nec Baiazetes Turca ad Nicopolim & Columbarium sub Sigismundo Hungarorum exercitibus profligandis, neq; Amurates Vladislao ad Varnam cædendo, neq; Mahometes Taurino oppugnando, neq; Solymanus Ludouico ad Mohaccum occidendo, delendis Hungaris potuerint suffecisse. Viget eò usq; Hungarica virtus, & parua nonnunquã Hungarorum manu magnæ Turcarum copiæ profligantur. Ac memorabile quidem est, quod Abaymus Solymani purpuratus Ioannis regis Hungariæ legatis aliquando indicauit: cum acies inter se instructæ iam constitissent ad Mohaccum, dixisse ad eum Solymanum: O utinam isti regi, inquit, in mentem veniat, pacem à me hodie petere, quàm de summa rei mecum potiùs dimicare. Non difficulter tandem, si vellet, id à me beneficij impetraret. Nam ut noster victor sit exercitus, hæc Hungarica natio non quiescet. Et verè id ille quidem. Nam idem ille Solymanus, quoties tandem aliquid efficere contra Hungaros voluit, in

B iij mediam

mediam Hungariam ipse semper venit, & tandem Segethi oppugnatione fatigatus, vitam cum morte commutauit. Hos igitur Hungaros interire pati, impietatis & amentiae est: si quidem his, tanquam muro quodam sublati, haud scio, si ij, qui in stationem succedent, eorum virtuti & felicitati respondebunt. Nolo hoc loco praeterire, quid mihi audientibus multis, Lazarus Szuendius, ut mihi amicissimus, sic summus belli gerendi imperator, aliquando de Hungaris dixit: Eos sibi videri praeter ceteris militum nomine digniores, qui tam diu & fortiter Christianos reliquos tutarentur. Iam verò quam paruae istorum reliquiae sint, quam videtis, tamen ne à me id quidem dicendo praeterendum est. Sunt enim certè minimae, & Canisia, Bespermo, Papa, Palota, Comaro, Iaurino, noua Arce Archiepiscopali capta, sublati Hungaris, liberissimum iter in Morauiam Turcicus habebit Imperator. Ad fines verò inferioris Hungariae, oraëq; Cassouienfis tractum tuendum, unica ferè est Agria, qua semel capta, usq; ad montes Carpatos patebit Barbaris aditus, & tam in Poloniam, quam in Germaniam patefiet. Quarum rerum & periculorum terrore, quis non excitetur? Quis regna non iungat regnis atq; prouincijs? Quis unitam & coniugatam potentiam contra perfidum hostem, omnibus maiori praesidio fore non opinetur? Memini ego Maximilianum Caesarem, memini,

memini, inquam, in postremis Ratisponensibus dicentem comitijs, cum de quibusdam Germaniae regulis tardius adventantibus quereretur: existimant isti, inquit rem esse nihili, cum de Poloniae agitur regno, vicinis nostris regnis & prouincijs adiungendo. Errant, qui mea, & non totius Reipub. causa Poloniam me appetere existimant. Sed veniet aliquando tempus, quo me humanis perfuncto rebus, salutaria secutum fuisse consilia isti intelligent, & sublati gentibus, & nationibus ijs, quae leuiori militiae assuetae, barbarorum conatibus, quo minus ulterius progrediantur, obstant, quantum oneris Germaniae & alijs prouincijs incumbet, secum ipsi recognoscent. Hac ille tam praestans magno magnarum rerum usu & intelligentia Caesar, omnibus seculis memorandus: nos interim videamus, si expedit aliam aliquam contra Turcas bene gerendae rei occasionis expectare tarditatem. Mihi quidem videtur, totum istud mali persimile esse in vasta aliqua domo incendio, quod inter densa tecta latens, principio non appareat, postremò verò sic erumpat, ut nullo modo extingui posse amplius videatur. Nam hac videlicet ratione, quid Hungariae sit, Germania non considerat: quid Valachiae, Polonia non curat: Anglia Oceano circumfusa non metuit, Gallia nihil istorum periculorum penitus pertimescit. Ita demum collapsò regno isto, ruit illud alterum: subiugata à Turcis prouincia una, & reli-

& reliquæ vicinæ malorum contagione contabescunt. atq; ita demū totius vasti illius ædificij incendium nō aqua, sed ruina extinguetur. Interim quā pulchrum sit Germaniā populo, splendore Italiam, equitatu gloriari Poloniam, faciliè perspicitur: cū hæ omnes tandē præda futuræ sint barbarorum, cum Turca quasi certam & exploratam de Christianis sibi promittat victoriam, cum in cinere & cruore Europæ perbacchetur. Et nihil Christianos iuuant opes, quas tam auarè colligunt: nihil prouinciæ, quas vicinis eripiunt: nihil tituli, quos tam ambitiosè expetunt: nihil principatus, quem tam auidè unus præ altero concupiscit. Ruet hoc modo tandem, quæ Hispaniensi potentia invidet, Britannia: insidiosæ fœderis laqueis seipsam illaqueabit Polonia: Germania, quæ unius non fert, grauem multorum experietur principatum: Hispanijs lachrymantibus non ridebit Italia: nec Belgio lugente Galliæ exultabunt. Sciet in nos uti Turca meliùs tempore: excitabitur vel minima occasione: crudelior erit, accepta calamitate. Amisit in Perside tot exercitus, possunt homines adolescere: amisit grandem pecuniam, potest eam in ærarium tandem inferre: amisit duces & bellatores, & hos potest aliquando recuperare. Nos ea quæ semel amittimus, nunquam vicissim nostræ facimus potestatis. Habet ille in Epyro Apolloniam, ex qua una nocte in Italiam Hydruntum
visus

visus est appellere, ne Dyrrachium oppositum Brundisio, ne Epidaurum, ne Olchinium & alios eius portus Italiæ infestos enumerem. Habet Hungariam, ex qua intra paucas horas, partim in Poloniæ, partim in Austriæ fines, volet irruere. Habet Choczimum, ex quo Tyro superato Pokucium potest in Polonia diripere. Habet Sclauoniam, ex qua in Styriam & Carinthiam, cū libuerit, audebit involare. Quid igitur expectamus? Quid tantæ occasione indormimus? Quid Turcam inclinatum non urgemus? Enim verò illud fortè operimur, ut is, qua crudelitate, libidine & solertia est, paulò nunc attritas in Perside suas recuperet vires, & demum ab omni re imparatos, cautiùs & immaniùs nos aggrediatur. Absit quidem hoc à nobis omen: sed absit & discordia. Vitandis enim euentis, causæ euentuum sunt subtrahendæ. Ferunt lupum, qui unius coloris fuerat, audientem canes contra se aduētantes cōtempnissse iccirco, quòd distincti coloribus fuisse narrabantur: Turca viros principes, non canes, non pilo, sed animo & sententijs variantibus, non contemnat? Imò verò maximè. Vno ergo animo, coniunctis viribus, in communionem temporum collatis opibus, exercitatis deniq; in Turcam nobis opus est militibus: ut tandem illius possessionem terræ, quam Christus pedibus suis institit, sanguine resperfit, miraculis beauit, aliquando adeamus. Eripere tu nos

IESV Christe, ex Dæmonum potestate, morte & cruciatu tuo, voluisti: nos Martem communem, hereditate tua è faucibus luporum eripienda, refugiamus? Miseros nos, qui tam spinosum caput Christum Opt. Max. habemus, & ipsi tam delicata membra sumus: qui pro angustis terminis inter nos pugnamus, & accessiorem tantam tot tantorumq; regnorum posthabemus: qui liberi esse & videri cupimus, & nihilominus Mahometanæ seruituti, quovis Orco fœdiori hosti, civili discordia nos ultrò mancipamus. Sed finis sit: multis enim multa videmus licuisse, quæ idem negârunt proferri decuisse. Vos ego oro, obtestorq; reges, & nationes Christianæ, ut si in Deum Opt. Max. grati, si acceptorum à socijs beneficiorum memores, si patriæ vestræ amantes, si Christianæ salutis cupidi estis, & haberi vultis, hanc talem & tantam debellandi Turcæ occasionem obmittendam, & scelus scelerè cumulandum, non amplius iudicetis. DEVS Opt. Max. omnia potest, sed patre benignior esse non debet: cui si dicto audientes filij non fuerint, eos tandem exhæreat. Quid verò DEVS nobis indulgeat, qui ut misericors, sic iustus semper esse solet, nec iure non debet?



TVR-

TVRCICA II.

Intellectum est vobis (ut opinor) satis, quanta à Deo Opt. Max. bene contra Turcas gerendæ rei, oblata sit occasio: si quàm raras, & exiguas antea habuerimus, memoria repetamus. Nunc verò, ne diuinum numen defuturum nobis vereamur, quæ nos, si grati fuerimus, diuinitus auxilia maneant, & quod Christianæ & Mahometanæ legis sit discrimen, humanitate vestra fretus, breuibus explicabo. Omnia enim in hostes bellorum subsidia sunt bona: sed ea optima, quæ diuinitus proficiscuntur. Mille abhinc circiter annis, in ignobili quodam Arabiæ pago, Sarcenorum Dux & auctor, natus est Mahometes: qui magistro & adstipulatore Sergio Hæresiarcha, & profugo monacho, cum Imperatoris Heraclij militum seditionis occasione uti sciret, in eam quidem venit venerationem: ut dogmate suo longè lateq; propagato, finitimos etiam armis persequi, & dominatum in ijs sibi usurpare non dubitaret. Etenim non tam religionis causa, quàm regionis gratia, nouorum dogmatum sunt impij auctores. Hic stultæ & prophanæ doctrinæ suæ, quæ per orbem terrarum passim disperferit semina, quanquam sciatur: tamen ne ego quidem verba faciens, tacitus id præteribo: ut quales, quibus tot regnis celsimus, hostes, & quo imbutos dogmate

C ij habeamus,

habeamus, nobiscum ipsi recognoscamus: & tandem rubore suffusi, ciuili ista perhorrescamus discordia, quæ nos videntes, & volentes sub iugum mittit crudelissimæ seruitutis. Quis enim est, qui dubitet, ea secta quantopere dissecta sit Mahometis? qui non solum cum IESV Christi doctrina, verum etiam cum ratione pugnavit ipsa, suis erroribus imperitæ multitudini obtrudendis. Ac ut de Calypsa & Mephti, ut summis, sic sibi contrarijs, apud Mahometanos sacrorum præsidibus, alijsq; varijs & multiplicibus Mahometanæ legis interpretibus, alio loco loquar: quorsum illæ Mahometis ipsius nugæ, de duobus angelis Aroth & Maroth nominatis: quos ille cœlitus in terram missos, ut ius mortalibus administrassent, esse testatur? Quibus cum imperatum esset, ne vinum biberent, nec cum foeminis haberet rem, nec deniq; ad superos iter alicui ostenderent, illi contraria fecerunt omnia. Ac primum quidem à muliere decepti, eiusdemq; consuetudine usi, vino inebriati sunt, & iter in cœlum Mahometi cōmonstrârunt. Quem cum Deus Opt. Max. adventantem conspexisset, angelos sibi astantes, quis nam tali habitu ingrederetur, interrogauit. Hic cum repente Angeli Aroth & Maroth errorem esse dixissent, mulierem tandem in stellam DEVS convertit: Angelos verò concatenatos in puteum misit, æternis ignibus cruciandos. Iam verò illud etiam alterum,

somnia,

somnia, quàm prodigium veriùs appellandum, quo loco ponam, quod de animali Ebarachiel nuncupato, suis Mahometes prodidit literis? Quo quidem animali, auctore Angelo Gabriele, una hora cœlo illatus, orauit pro Angelis Mahometes: & rursus altero cœlo conspecto, quod quingentorum annorum distabat itinere, ad septimum usq; cœlum pari distantia tandē pervenit. In quo demum vidisse ait se angelorum infinitas legiones, & angeli cuiuslibet magnitudinem mundi instar unius, & eorum aliquem mille vicibus grandiore, & in his demum unum, cui septies centena millia capita fuissent, & in quolibet capite totidem ora, & in quolibet ore linguæ pari numero extitissent. At verò quid est, quodd tibi somniare vis Mahometes? Vna hora quinquaginta annorum millium iter te dicis confecisse? Qui hoc obsecro fiat? Qua ratione eveniat? Quis talia dicenti fidem adhibeat? Corpori, in æterna nondum constituto gloria, id dari posse videtur? Nihil minùs profectò. Quò igitur iuisti? Vbi fuisti? Quid circumijsti? Cœlum extremum nondum tibi patuit. Quibus ergo in terris, tanta locorum temporumq; spatia emensus es? Pro Angelis te orasse ais: quali verò opus eo Angeli habeant, vel habuerint aliquando. Iumentum non tulit te. Quis itcirco tulit? Quid animal peccauit, ut tuis precibus indigeret? Spatia & longitudinem terræ si, quam

C iij asseris,

asseris, spectes, falsissima est. Geometra omnes, ratio ipsa, scriptorum monumenta tibi reclamant: non Dionysiodorus, non Eraphones, non Hypparchus, non Ptolemæus Alexandrinus princeps Astronomorū, tibi suffragantur. Iam quod Angelos mundo maiores dicis esse, an vel hoc saltem ipso absurda te dicere, & Angelorum partē extra mundum reperiri, non oportet fateare? Eo verò ipso Philosophorum sententiam, qui mundi ambitu omnia contineri aiunt, acculabis falsitatis. Mitto, quod Angelos corporeos, de flamma ignis creatos, ais esse perituros: & mox, Origenis securus sententiam, eosdem censes saluandos: cœlum de fumo factum, & Lunam æquē cum Sole splenduisse, antequam volitantis Angeli Gabrielis ala tacta fulgorem suum amisisset. Hæcine tanti Prophetæ Mahometis est lex? Hæcine sanctio? Hæcine, quæ parvulis instillatur, sapientia? Quæ ne tantillum quidem rationi est consentanea. Etenim lex & sanctio omnis ratio est recta, à diuino numine tracta, & quàm minimè dissona, vel contraria veritati. Cuius cum non in ratione, sed in ense vim reponat Mahometes, quī eius substituat lex, tot fallacijs & erroribus infarcita? Fures noctu perfodiunt domos, latitant in tenebris moechi, ut iugulēt homines (inquit Poëta) surgunt de nocte latrones: idem instituti habet etiā Mahometes. Metuit ne limanda in disputatione veritate dogmatis illius

illius cognoscatur vanitas, verbis de eo prohibet disputari: veretur, ne alterius cuiuspiam, quàm ipsius assertionum, maior sit autoritas, vult sua tueri armis universa. Ne quis eo argumentis sit superior timet, ferro, non iudicio litem terminari concupiscit. Ac ne multa, impius, prophanus, sacrilegus est legislator. Christum Deum negat cum Arrio: Spiritum S. dicit esse creaturam cum Nestorio & Macedonio: uxores plurimas, & in his divortia, ac præter uim usum, omnes etiam nefarias voluptates suis concedit; & nunc in sua secta pro se quemq; saluandum, nunc extra suam legem salutem habiturum neminem, testificatur. Quod si aliquando aliquid non omnino detestandum docet, hæreticorum more facit: ut salutaria venenatis miscendo, rudem plebeculam deliniat, & circumscribat. Venena enim zaccaro condita facilius propinantur. Hic tamen tantum abest, ut cœlestia intelligat, ut ne terrena quidem assequatur, quæ Deo Optimo Max. curæ non esse, nec unquam fuisse, & cum Democrito mundum casui fortunæq; subiectum ait semper extitisse. Quem ipsum mundum magna ex parte disciplinarum & sapientiæ expertem suo dogmate fecit, atq; omni barbarie inquinavit. Vbi nunc sunt Chaldaei, qui cognitione astrorū, & ingeniorum solertia in Syria olim claruerunt? Vbi Ægyptij, qui antiquissimis literarum monumentis viguerunt? Vbi Græci, qui tot tantisq; sapientiæ

sapientiae studijs multis alijs praestiterunt? Graciam in ipsa requirimus Gracia. Urbium Graeciae muros, si quaeramus, ne ruinas quidem inveniamus. Mahometana fex & lex obruit omnia: cuius fundamentum voluptas est: foeda, ensis praesidium, furta & latrocinia incrementum. Sed erit fortasse illud, quod mouet non neminem, quod nostro sacrosancto relicto nonnulli Christianorum Mahometani dogmatis fiunt discipuli, & auitae religionis desertores. At qui & quales isti reperiuntur? videlicet aut mancipia libidinis, aut serui ambitionis, aut verò expertes inter Christianos libertatis, intelligentia rerum nulli, animo abiecti, & multorum scelerum conscientia desperati: ut mirum non videatur, si hos proditoriè deserunt, à quibus ipsi, ut leues, habentur despiciantur. Quærit enim latebrasis, qui in luce hominum agrè versatur. Quorum tamen, si quis intimos introspicere possit sensus, cognosceret utiq; aut futurae vitae spem habere eos nullam: aut admodum esse anxios, quod suum humaniq; generis seruatorem, aquæ viuae fontem, perenne solatium vitae, deseruerint: falso rati, maius suum scelus fuisse, quam ut Dei Opt. Max. misericordiam mereri potuisset. At nimirum illud mouet, mouebitq; semper magnam omnibus admirationem, esse in Mahometana seruitute, tanquam in quadam Chaldaeorum fornace, Christianorum quam plurimos: qui non iam libertatem, sed mutato saltem solo

solo, eandem repetunt seruitutem, tributa pendunt, omnia vel grauissima onera ferunt, liberorum non modò corpora, sed animas quoq; perditum tradunt, & nec deplorare saltem calamitatem suam tutò possunt, grauiora mala, si id sciatur, metuentes. His inquam, tot ac tantis ærumnis non confracti, Christo Opt. Max. nomina dant: & nec ipsos se, nec liberos suos circumcidunt: Christianum deniq; non Mahometanum dogma, capitis nonnunquã periculo, apertè profitentur. Quid ita? Quia integritas diuinæ legis, & aeternæ securitas vitae, hominem multò quam praesentis felicitatis facit studiosiorem. Quæ cum ita sint, vera præ cæteris omnibus Christiana est religio, ex utero Mosaicae legis recepta, vatum oraculis illustrata, infinitis miraculis confirmata. Cuius ipse Deus Opt. Max. est auctor, filius Dei doctor, Spiritus S. propagator. Qua, si libet, cum Mahometano dogmate conferenda ulterius progrediamur. Nullus quippe maior est fons discordiæ, quam non idem honos, qui à Christiano habetur, à Turca datus Christi Opt. Max. diuinitati. Mahometanus siue Turca Dei inficiatur Christum esse filium, asserit Christianus. Vter rectius, videamus. Turca iccirco negat, quod Deus uxores, ex quibus suscipiat liberos, non habeat: quibus existentibus multis, regna, quæ non nisi unum capiunt, & ab uno omnium optimè gubernantur, tandem interire

D oporteret.

oporteret. At ego quæro, Christianine tibi ex conubio foeminae Deum generare proficetur? nihil profectò minus. Quid igitur somnias? perinde ac si quis dubitet, hanc Christianam & orthodoxam doctrinam esse, semperq; fuisse, Deum videlicet esse spiritum incorporeum, immortalem, æternum & incomprehensibilem. Qui dum seipsum intelligit, in mente sua concipit verbum, quod Dei filius nuncupatur. Quæ quidem de verbo Dei veritas, non illuxit modò apud Christianos, verùm etiam Philosophorum pervasit olim Lycæa, & magna à Platoniceis ea de re prodita sunt mysteria. Sed sicuti oculi noctuæ ad solem, sic est noster intellectus ad sustinendam aciem diuinitatis. Quod nemini sanè mirum videatur, quando quidem & apud Iureconsultos non omnium eorum reddi potest ratio, quæ à maioribus instituta sunt vel fuerunt: & tamen nulli rei, quàm antiquæ legi, maiorem tribuendam esse auctoritatem, secretario naturæ, & summo intelligendi Magistro placuit Aristoteli. Iam quo pacto generationem filij, & Spiritum S. ab utroq; procedentem, rudis & prophanus, & in libidinum cœno volutatus intellexisset Mahometes: cum hæc non solum doctioribus, sed sanctioribus etiam, eò quidem difficilius videbatur res, quò plus aliquando de ea cogitabant. Hanc quantò æquiùs, cum suas nugas ferro defendi iubeat Mahometes, auctoritate scripturæ sacræ

nos

nos tuemur. Etenim & Pythagorici ipsi à cognitione veri Dei remoti, non Deo, sed homini tantum tribuere non sunt veriti: ut sola illa responsione, Ipse dixit, esse contenti minimè dubitarent. Quòd si quis Euangelio fidem non habeat, ne Moyse quidem est habiturus, quæ tamen hæc ipsa Mahometana lex non aspernatur. At credunt certè suis historicis Græci, credunt Latini, credunt & Barbari: nos summis IESV Christi cancellarijs, vita innocentibus, miraculis claris, idem & unum spirantibus, non credamus? Et quidè quàm magna sit istarum rerum disparitas, cognoscitur. Historici nullius ferè auctoritate recepti sunt, & omnium sententia eorum etiam quidam, non tam ad veritatem historiæ, quàm ad imitationis exemplum, sua posteritati legenda reliquerunt: Euangelistarum libros infinita concilia, & cunctæ ferè gentes, atq; nationes acriter iudicio examinârunt priùs, quàm orbi terrarum commendassent. Quo etiam est factum, ut ex his nonnulla suppressa, & à multorum cognitione constet esse subtracta. Accessit verò his martyrum robur, qui pro testamèto seruatoris per acerbissimos cruciatus mortem subire minimè dubitârunt. Accesserunt probatissimæ vitæ, & perspicacissimæ doctores prudentiæ, qui nisi Euangelicæ doctrinæ veram comperissent historiam, in Evangelici magistri verba iurare nunquam omnino voluissent. Accessit tot Imperatorum, Regum,

D ij

gum, Tetracharúmque; auctoritas: qui rationibus victi, conscientia puncti, miraculis tracti, collum Euangelio submiserunt. Accesserunt gentes & nationes infinitæ, linguis inter se variæ, locis temporibusque disiunctæ, rerum gestarum gloria & diuitijs præcellentes: quæ gentium molliori abiecta, duriorē Christianam doctrinam amplexæ sunt: & uno vero Deo duce & auspice, tot Deos falsos ex eorum phanis & delubris eiecerunt. Quid, quod illud quoque, non secundum aut tertium, sed primum & præcipuum veritatis Evangelicæ est argumentum: multis ante Christi adventum seculis, tot tamque certa vatum oracula de eo fuisse, ut non gerenda, sed iam gesta enunciasse viderentur. Qui posteaquam regali & sanguine, & virgine purissima natus esset, quod non edidit exemplum sanctimonie, mansuetudinis, sapientie, benignitatis, & diuinæ potestatis suæ singularis? Duodecim annorum cum doctoribus eruditissimis disputavit puer, summa cum omnium admiratione. Vocatus ad nuptias, aquam in vinum convertit. Quocunque ibat, solo verbo ægros pristinae restituit sanitati. Mutis loquendi, claudis ambulandi, cæcis videndi, surdis audiendi præstitit facultatem. Quo ipso non contentus, non solum imbecillis vires, verum etiam vitam restituit mortuis, etiam quatruiduanis. Secreta & cogitationes hominum intellexit, futura prænuñciauit, dæmonia eiecit, super aquis

aquis ficcis pedibus iuit, ventis & mari imperauit. Postremo videns volensque captus, crucifixus, occisus est à Iudæis: & pro eo, ac promiserat, cum sepultus esset, tertia die à mortuis resurrexit, & demum tractandum, palpiandumque suum corpus obtulit duodecim discipulis, quibus cum etiam bibit ac comedit: nec mora, quadraginta diebus exactis, videntibus illis in cælum est sublatus: cuius pia doctrina, vita sancta, miracula clara, æuo celebrantur sempiterno. Quid enim, quod non sanctum esset, unquam præcepit? Quid aliud docuit, quam ut colamus Deum Opt. Max. festos dies celebremus, proximos, non secus ac nos ipsos, diligamus, pauperum miseremur, viduas & pupillos, & omnes imbecilles nostro tegamus patrocinio, infirmos & carceri mancipatos inuisamus, humemus mortuos, nec modò manus, verum etiam oculos habeamus continentes, stupra fugiamus & adulteria, iurgia, lites, ebrietatem, crapulam, & omnem turpitudinem auersemur, primos in cænis accubitus, & omnem mundi pompam, & blanditias devitemus, reges & parentes honoremus, Magistratibus & Sacerdotibus dicto simus audientes, thesauros denique veros, ipsamque solidam felicitatem, non in terra, sed in cælo consecremur? Hæc nimirum Christi Opt. Max. est lex, hoc testamentum, hæc præceptiones, non minùs auditu gratæ, quam re ipsa salutare. Atque ut simul iungamus

mus omnia, Christus Dei & Virginis filius ex Spiritu S. conceptus, agit vitam seipso dignissimam, miracula varia & multiplicia edit, naturæ ipsi imperat, legem perfectissimam condit: qua tot Cæsares atq; reges, tot gentes & nationes, uno religionis nexu inter se coniunguntur. Deum & hominem se profitetur, utriq; rei satisfacit. Prophetæ, Euangelistæ, martyres, & omnes omnium ætatum & gentiû ei suffragantur doctores. Florent sub eius religione literæ, vigent politia, non exulat humanitas, non furor, sed ratio iusticiam administrat. Hæc simul iuncta, quid sibi volunt aliud, quàm quòd verum esse Christi de seipso testimonium, verum eundem esse Deum, veras ipsius promissiones, veram doctrinam testificantur? Mahometes contrà quis & qualis sit, quibus à principijs, & unde ortum traxerit, quos errores propagarit, videamus. Gente is fuit Agareus, patria Arabs, ortu ignobilis, pertenui fortuna, nulla prorsus excultus doctrina: dogma suum ex Paganismo, Iudaismo, & Christianismo conflavit, Hæreticorum quorundam opinionibus fulciuit, simulationum & maleficiorum artificijs erudiuit: de vita æterna nihil sensit, nihil in lege sua testatus est: nullum in vita & à morte miraculum edidit, nisi fortè, quòd vi magnetis corpus ipsius in aëre ferunt pendere, quod in imum inferni præcipitatum esse, ex tot tamq; horrendis ipsius blasphemijs,

mijis, quis non potiùs arbitretur? Quot enim lactis, & mellis viniq; flumina futura in cælo non somniat? Quos non promittit cibos? quos non permittit coitus? Quæ Angelorum ministeria, etiam in turpissimis rebus, non pollicetur? O hominis, seu quadrupedis potiùs fœditatem. Et erit qui, quoad hunc spiritum ducit, in voluptatum cœno, tanquam lutulentus sus, cupiat perpetuò volutari? An verò non multò plura & maiora sunt, quæ hominem magis recreant, & reficiunt? Honoris & gloriæ dulcedo longè omnibus est iucundior, & comparata magis ad perpetuitatem: si perpetuum debet videri id, in quo aliquod est extremum. Si labore aliquid quæritur, labor præterit, decor est laboris immortalis. Si voluptates tantum blandissimas dominas cōsectere, breue eorum gaudium, restat turpiter actæ vitæ macula sempiterna: & quidem, quò vehementiùs intemperans fuerit adolescentia, eò effectum & morborum plenum magis est corpus, Ætna grauiore superveniente senectute. Iam verò, sicut ignis & aqua simul esse non possunt: sic hæ terrenæ deliciæ non coherent cœlestibus. Quas quoniam lege sua sanxit in cælo Mahometes, magis morata Solonis aut Lycurgi est sanctio, qui etiam in terra eas prohibuit. Omnia enim oblectamenta eò usq; possunt tolerari, quoad speciei hominis ergò conservandæ,

& in

& in suum finem, qui est Deus, directa esse videantur. Fœdior certè Mahometes est Calipho & Synomacho, qui in voluptate, honestati coniuncta, summum situm esse bonum duxerunt: fœdior Erillo, qui in scientia: fœdior Aristippo & Epicuro, qui in sola posuit omnem felicitatem, voluptate. Christianorum felicitas nobiliori hominis parti respondet, animæ: Mahometana viliori, id est, fragili & caduco corpori: Christianorum, mentem, Mahometana spectat carnem: hæc obscura & rancida, illa fulgens & nitida: Christiana cum Angelis, illa cum porcis est communis: Christiana in illo illustri, & pleno syderum loco, iure optimo est ponenda: contraria ne in latebris quidem Asiæ, aut sterili Lybiæ solo perferenda. At ne multa, Dei Opt. Max. iudicia abyssus est profundissima: Turcæ in nos potestas iusta, licet periniqua sit voluntas. Deus pro peccatis permisit nostris, ut & diuitem Asiam, & doctam Græciam, & fortem Thraciam, & rebus gestis claram hostes possiderent Macedoniam: ut templum illud Salomonis, in quo toties concionatus est Christus, ut Bethleem, in qua natus, Hierosolymam, in qua mortuus est, occuparent: ut deniq; Alexandria, Thebis, Memphi, & tota Ægypto, ut Antiochia, in qua Christianorum nomen primum est auditum, ut Epheso & alijs Apostolicis in Asia sedibus, barbari potirentur. Sed non propterea tamen nostra religio con-

contemnenda alicui videatur, quæ est fons perennis clementiæ, culmen splendoris, speculum continentiæ, seges & materia unitatis. Quid si eò etiam est tuenda, & defendenda magis? Etenim, si pro repetendis rebus iustam belli causam veteres putauerunt: quid eo bello sit iustius, quod pro tot & tantis direptis urbibus, spoliatis phanis, everfis regnis, occisis principibus, suscipiatur & geratur? Sæpe olim Romani pro socijs, sæpe Græci pro augendis confinijs, arma coeperunt: vos pro tali tantòq; imperio, quanto magna ex parte Asiæ, Europæ, Syriæ, Ægypti, & Affricæ regionibus auctus est Turca, ad vos rursus transferendo, nihil agetis? præteritarum cladum, & calamitatum non recordabimini? Dei Opt. Max. maiorum vestrorum iniuriam, vestram perpetuam ignominiam, inultam relinquetis? Atqui, si vel maximè etiam id cupiatis, Turca vester & Christiani nominis hostis hæreditarius, Sathanæ satelles, in hominis figura immanis quædam bellua, hominum societati infesta, non permittet: pace in Perside facta, vestrum adoriatur hunc aut illum, derepente, in viscera Christianitatis veniet, cæde, ferro, flamma cuncta complebit. Nónne ergo præstat, hac ipsa occasione uti, & Turcæ obviam nos progredi: quàm intra nostra tecta tantum calamitatis ab eo expectare? Grauiora sunt ea vulnera, quæ obligat exanimata uxor, cõstuprata luget filia, vexatus deplorat pater, E incensa

incensa exulcerat patria. Stultum est obijcere barbaro hosti omnia: liberos, quos ante ora parentum abripiat, Rempub. quam libertate spoliatur, aras, quas diruat, religionem, quam prophanet, & evertat. Romanis durius bellum nusquam, quam in Italia, fuit. Philippus Alexandri Magni pater per Atheniensium, Lacedæmoniorum, Thebanorumq; civilem inter se dissensionem, aliàs invictam, evertit Græciam. Annibal superari non potuit, quàm in patrio solo à Scipione circumventus. Caput, caput imperij petendum est Byzantium, in quam olim post pacem cum Gratiano factam, & à Theodosio confirmatam, Athenaricus Gotthorum rex ingressus, hæc verba fari non dubitavit: Verè, inquit, Deus terrenus est hîc habitans Imperator, & quisquis contra eum manum mouerit, sui sanguinis reus fuerit. Tantus illius urbis splendor tum & amplitudo extitit, quam sex Turcica inhabitantia monstra tantopere defœdârunt. Scio non paucos id ad se arbitrari non pertinere, qui aut urbibus suis confisi, aut fluminibus & montibus disiuncti, aut Oceano circumfusi, veluti folia Sibyllæ hæc audiunt recitari. Sed hæc eadem illa Græcos, eadem Hungaros, spes fefellit. At verò cupiditatis tyrannicæ est finis infinitus. Et si pro angusto Mysorum imperio, pro Triballorum montibus, pro Illyriorum casulis, maiores Turcæ tot pericula adierunt: pro Italia

liæ thesauris, pro Germaniæ opibus, pro magna ad res gerendas Poloniæ oportunitate, iste, si his difficultatibus se expedierit, non adeat? non aliquid tentet? non maiorum suorum institutum vitæ & belli gerendi persequatur? Atqui non aliud in votis Turcæ habent, quàm ut perpetuis dissidijs Christiani inter se distrahantur. Hoc in Synagogis diuinitus petunt & efflagitant suis, hoc precibus ingeminant, hoc perpetuò concupiscunt. Nos verò eorum vota, & desideria impleamus? nos rem eorum agamus? nos mutuis conficiamus cædibus? non foris, sed domi inter nos præliemur? Quid turpius est, quàm agere, quod hostis iubet, non ratio suadet? quod hosti expedit, non quod me fugere necesse sit, procurare? Quod non dicam imperium, sed domus una, sine concordia fuit, vel potuit extitisse diuturna? Corruit olim rerum domina & Imperatrix Roma, corruit Græcia, corruiet omne deinceps regnum & prouincia. Tabida interim febris agrè prius in homine cognoscitur, quàm totus homo ea marcescit. Speramus quidem meliora semper: sed indies magis ac magis deteriora experimur. Paruæ erant initio Turcarum vires, quæ nunc in immensum nostra discordia auctæ, nisi prohibeamus, orbi terrarum interitum minitantur. At prohibere alio modo non poterimus, nisi summa accefferit voluntatum animorumq; nostrorum

E ij consensio:

consensio: quo pacto Græciam olim à Xerxe, cuius quinquagies centenis hominum millibus exercitus, classis mille ducentis nauibus constitit, liberatam fuisse accepimus. Quid igitur expectamus? Quid nostra in communionem temporum non conferimus omnia, potius quàm, ijs Byzantinorum more, ab hostibus spoliemur? Ferunt Constantinopolim quinquaginta millibus aureorum nummum ab extremo excidio potuisse prohiberi: Taurinum, non nisi centum & quinquaginta aureis nummis, quibus commeatus Budæ emptus, ac secundo Danubio, si quæstores voluissent, demissus, longiorem obsidionem ferre defensores præ pudore coëgisset. Sed nemo, cum opus erat, his de rebus cogitauit, ac ne nunc cogitat quidē. Potentiam & maiestatem imperij Turcici, veluti rem aliquam iustam & legitimam, certatim Christiani reuerentur, legatos suos Byzantium mittunt, omnes aliæ regiæ hanc unam regiam pertimescunt. At verò longè magis iustum & moderatum Romanorum fuit imperium. Illi tamen & Asia, quam Attali, & Bythia, quam Nicomedis testamento habuerant, exuti sunt; & Cyrenas, cum urbibus Lybiæ & Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate, & Lybiam supremo Appionis regis arbitrio affecutas, perdiderunt. Turca in tanta tyrannide, & vi usurpatis aliorum rebus, in tanto gentium omnium in se odio & conspiratione, Orien-

Orientalis imperij caput, Græciæ decus, Thraciæ præsidium, si Christiani velint, Byzantium, non amittat? in qua urbe tot tantâsq; seditiones identidem audimus contra eum excitari. non amittat Hungariam, quam specie quadam ferundi auxilij proditoriè occupauit? quasi verò ignoretur, Byzantij urbem à Pausania quodam conditam, postea verò à Constantino Magno, sanctæ Helenæ filio, nouam Romam seu Constantinopolim appellatam, sub altero autem Constantino Dragaze, Helena nato, sed religionis Catholicæ desertore, non tam viribus barbarorum, quàm ultricibus poenis periuro Cæsari diuinitus irrogatis, in hanc venisse seruitutem: & Hungariæ partem, non tam Solymani Turcæ copijs, qui ter ipse in eius excidium venit, quàm diuiso senatu, distracto populo, & ciuili vigente dissidio, concidisse: ut facilè coniecturam capiamus, quale & quàm diuturnum Turcicum futurum sit imperium, si imperium est dicendū, quod latrocinio comparatur. An verò quis dubitet, Christianis gentibus & nationibus Constantinopolim euntibus, omnes istos intermedios populos, qui nō ita pridem nomen Christi coluerunt, & nunc etiam colunt, sed apertè tamen profiteri metuunt, ad arma concitados in Turcas ruere, & extrema quæq; experiri, illius causa libertatis, cuius intermissæ morsus grauiores sunt, quàm retentæ. Neq; verò etiam omnes ij, qui in Asia sunt, Christianæ re-

E iij ligioni

ligioni nuncium remiserunt. Multi in Cilicia, Bythi-
 na, Cappadocia, Syria, & Palæstina sunt Christiani.
 Hyberi, qui & Georgiani vocantur, Trapezuntij, Ar-
 menij, Præcopiani Tartari Christum colunt: nec
 dubitabunt arma in Turcas capere, quoties rem à
 Christianis regibus seriò agi intelligent: præsertim
 si vera est seditionis istius in Asia & Affrica inter Ma-
 hometanos fama, quæ Christianorum conatus ma-
 gnopere adiuuaret. Non enim leue est inter Arabes,
 Numidas, & ferè omnes Afros, & inter Turcas ipsos,
 de Mahometano dogmate dissidium. Hi obediunt
 Caliphæ, apud quem summam potestatem voluit
 manere Mahometes: Turcæ contra summum sacro-
 rum præsidem Muphti creârunt. Ex ista dogmatum
 disparitate odia, & dissensiones magnæ inter Ma-
 hometanos sunt exortæ. Nam in senatum Turcicum
 Muphtæ vicarij ingrediuntur, qui intercedunt, si quid
 dogmati suo, & legi Mahometis adversetur: Calipha
 autem, sacrat quidem ministros per universam Lybi-
 am, sed nullum sub se regem habet æquè potentem
 Ottomanis. Quæ æmulatio quantum pariat conten-
 tionum & bellorum, Christiana regna recenter admo-
 dum nobis monstrârunt. Vnde enim, quàm à varia
 & multiplici dogmatum interpretatione, tot tantâq;
 bella ciuilia, valde inciuilia, in ijs exarserunt? Quod
 idem si Turciam invadat mali, quale imperio illi alla-
 turum

turum sit excidium, quis ignorat? Antea quidem cer-
 tè viribus Turcarum florentibus, & nullo internorum
 armorum existente metu, arma & bombardas domi
 suæ habere prohibebantur Christiani. Quod licet e-
 tiamnum capitis pœna sancitum sit, nihilominus sin-
 gulis ferè annis diligens fit inquisitio, ne quid armorū
 lateat alicubi. Simul atq; autem belli aliqua incre-
 buit suspicio, falces etiam agrestibus adimuntur, &
 falsi rumores passim sparguntur, imò etiam signa e-
 duntur victoriæ, quæ fuit nusquam, multitudinis ergò
 in officio continendæ. Est quippe metus providus
 magister disciplinæ, sed minimè tamen diuturnus.
 Hoc tamen non obstante, multa multis Christianis sub
 Turca degentibus sunt arma, ad eum usum asseruata,
 ut si aliquando Christiani in penitiora Turciæ ingredi
 vellent, eos naviter & oportinè adiuuarent: O quot
 igitur Turcæ domi suæ tum haberent proditores, con-
 iugum & liberorū suorum interfectores, Mahometanę
 perfidiæ desertores. Expectant Rascij & Bulgari advē-
 tantes Hungaros: expectant Hungari & Illyrij Germa-
 nos: expectant Epyrotæ & Macedonij Italos: expe-
 ctant Valachi & Daces Polonos. Quibus quantū expe-
 diat, ne à Tartaris Turcæ emissarijs clades anniversarias
 patiantur, intelligunt. Itali, quàm infesta maria habe-
 ant, quod ex foro Iulij, ex Epyro periculū eos maneat,
 intuentur. Hungari in extremū sunt adducti discrimē,
 nec

nec aliud desiderant, quam ut tot tamq; diuturnis bel-
lis confecti, tot assiduis sumtibus exhausti, tam ingen-
tibus periculis expositi, tam inaudita crudelitate hosti-
um divexati, aut pulchram per vulnera mortem (ut ait
Poëta) aut duce & auspice Deo Opt. Max. victoriâ for-
tiantur. Quibus parne erit vos deesse? par non exau-
dire eorum querimonias? non ingemiscere calamitate?
non perhorrescere seruitute? Audendum est certè
aliquid, & eorum causa, & nostra ipsorum gratia. Pa-
cem qui habere cupit, perfidum, crudelem, insidio-
sum, hæreditarium hostem bello oportet persequa-
tur. Non est Turca is, qui antea fuit. Habebatur ille
ille quidem vincibilis semper: nunc adeò etiam faci-
lis est superatu. Obtriuuit suorum prætorianorum in
Perfide legiones: exhaustit ex orbis terræ spolijs con-
flatum thesaurum: amisit, quem habuit, præstantio-
rem equitatum: urgere suos tributis vix amplius po-
test: domi hostem & foris habet: cum metu & hor-
rore interitum circumspectat. Vobis contra Chri-
stiani, vobis inquam, per omnia regna & prouincias
multi & exercitati milites, vobis pecuniæ atq; opes,
vobis commeatus, vobis adsunt omnia: ipse etiam ade-
rit vobis Deus Opt. Max. cuius olim auspicijs, dum
Moyles oraret in monte, populus Israëliticus vincebat
in acie: Sol retinuit suum cursum, ne victoriæ Iosue
retardaret alterum. Aderit eadem illa prælucente
cruce,

cruce, qua Constantino Magno, qua Theodosio adfuit
Cæsaribus: qua Christianus exercitus Corbonam Ma-
hometanum in Asia superauit. Impium, impurum,
sacrilegum Turcarum genus, suas conspurcari aras, sua
dirui phana, suum proscindi nomen, suorum Marty-
rum disijci ossa, non amplius patietur. Iam tandem
mille exactis à nato Mahomete annis, prout de se ipso
prædixit aliquando, fortuna olim pauper, mente su-
perbus, natione Arabs, consuetudine Idolatra, qui
hactenus in suis vixit Mahometes, extinguetur. Chri-
stiani saltem, non nomine tantum, verum etiam re-
ipsa simus: pro seruatore nostro innocente scelerati,
pro patria nostrum omnium antiquissima parente, tot
nominibus in eam ingrati, pro tot gentibus, & natio-
nibus Christianis seruis, nos, qui sumus, & adeò liberi
esse videri cupimus, hac occasione tanta domo egredi
minimè dubitemus. Sic cum Stephano protomarty-
re lapidibus obruto, Petro & Andrea in crucem acto,
Paulo securi percusso, Bartholemæo viuentē cutē nu-
dato, Sebastiano sagittis confosso, Laurentio flammis
exusto (utinam quidem etiam antè in Iudæa ista
potiti) ad illam alteram Hierosolymam coe-
lestem, siue victi, siue victores fueri-
mus, certò veniemus.



TVRCICA III.

In quod unquam seculum fuit, quod tanta rerum temporūq; momenta, & vicissitudines habuisset: hoc profectò eiusmodi est, ut ab inanum rerum cura, & maximè ab intestino nos avocet dissidio, orbisq; terræ labantis admoneat senectutis. Etenim Carolo V. Austriaco Cæsare, anno à Virginis partu supra mille quingentesimo nato, ea quidē sexcentissimi istius centenarij fuerunt initia, progressus & consecutiones: ut enarrare ea, quæ in eo acciderint cuncta, vix factu credibile sit: nefas verò, cum incœperis, vel aliqua prætergredi. Verè olim in Caroli V. natalis diem, qui D. Matthiæ sacer, & ipsi felix admodum fuerat, verba illa sacris ex oraculis prompta, sortem super Matthiam cecidisse, Isabella Regis Ferdinandi Hispaniarum coniunx, ipsius avia usurpavit. Nam ut ea, quæ ad hanc historiam spectant, altius repetamus, Maximilianus Cæsar, Caroli V. avus, ut magnus & prouidus auctor familiæ suæ amplitudinis & dignitatis fuerat, non hanc, quæ Carolum genuit, sed Isabellam grandiore natu Ferdinandi Regis filiam, Philippo unico suo filio despondendam, aliquando procuravit. Cum qua, cum matrimonij contrahendi gratia, Maximiliani Cæsaris, & Philippi eius filij legati, in Hispanias advenissent, castam & religiosam vitam

vitam agere ipsam apud se proposuisse, nec tale institutum rectè impediri posse, esse autem eis alteram minorem natu filiam, quæ grandiori in religiosam solitudinem secedente, omnium æquè regnorum futura esset hæres, parentes disertè responderunt. Quæ quidem omnia, cum non parum dubitationis legatis attulissent, iamq; illi discedere ex Hispanijs voluissent, instantibus parentibus filia, res ad Cæsarem integra est reiecta. Qui cum aliquândiu, antequam respondisset, cunctaretur, tandem sua familiæq; suæ spe in Deo Opt. Max. fortiter fixa, ut vel minor natu daretur assentiens, non Isabella, sed Ioanna Philippo eius filio est desponsata. Nec mora, Ferdinandus & Isabella regnorum Hispaniensium hæredes, maiorem natu filiam primū quidem Alfonso Lusitanorum principis regis Eduardi filio, postea Emanueli regi ipsi, ut illud regnum suis alijs coniunxissent, secus quàm promiserant, elocârunt. Qua puerpera brevi post mortua, Ioanna tandem hæres fuit, & Carolum V. die Martis foetum edidit Martium, omnibus seculis memorandum. De quo (ut dixi) simul ac huncitū avia acceperat, quanquam maioris natu filia Michaelē filium inambulātem inspectaret, in illa verba prorupit. Quibus haud dubiè feliciora omnia futura huic secundæ filia partui enunciauit. Iam enim, ut illud præteream, inclytam Austriæ familiam, invitis etiam

F ij ijs, in

ijs, in quorum potestate id fuerat, non modò ea, quæ Ferdinandus & Isabella habuerunt regna, sed Lusitaniam quoq; ipsam possedisse: enimverò tam felix, & prospera natalis dies illa Carolo fuit, ut bis Imperiale diadema, & de Francisco Gallorum rege ad Ticinum victoriam, multaq; alia die D. Matthiæ sacro, in quem inter Apostolos sors olim ceciderat, etiam ipse diuinitur sortiretur. Qui tanto temporis spatio à Carolo Magno, quantum hic à Christo, natus, ut sub Carolo Magni olim Imperio, tot gentes & nationes Christo nomen dedisse, sic orientis ultima eiusdem, se auctore, fore natiuitate sua declarauit. Quod tam quidem ipsi prosperè felicitèq; celsit: ut quantum in his Europæ regionibus religioni demptum esse, tantum rursus in orientis & obeuntis solis ultimis, Caroli V. ipsiusq; filij auspicijs, uideatur accessisse. Ac ut olim Carolus Magnus Saracenorum terror, sic Carolus V. Turcarum haud dubiè fuerat: adeoq; Solymanus Turca, tot victorijs clarus, non tam vires, quàm genium Caroli se reformidasse affirmabat: Sic ut verè dici queat, si Christus Opt. Max. qui extremis Augusti Cæsaris temporibus natus, per orbem terrarum pacem constituit, hos tandem duos tam potentes bellatores, paribus ferè post se intervallis, non excitasset: in tanta Mahometanorum rabie, & Christianorum inter se dissensione, Respub. nulla fuisset. Dux enim Reipub. capitales

capitales sunt pestes: barbarorum excrescens potentia, & intestina suorum discordia. Iam verò cum in Caroli V. Cæsaris amplitudinis & gloriæ hæreditatem, Philippus Hispaniarum rex Catholicus eius filius, nò modò successerit: sed etiam Lusitanæ regno, & tam immensis nouis in oriente & occidente regionibus, imperium suum auxerit: quoad per incertos valetudinis exitus diutissimè licuerit, eius potentia & felicitate fruamur, & non ad diffundendum, sed ad defendendum Christianum sanguinem accendamus. Ad Carolum quidem eius patrem, ut redeam, & huius sexcentissimi centenarij gesta, & Reipub. funera breuibus enumerem: adhuc ille in cunis vagiebat puer, cum tria memorabilia prælia, intra unius & alterius anni spatium, sunt commissa: ad Seminaram unum, ad Carigmolam alterum, tertium ad flumen Gariglianum: & omnes quidem pugnæ illæ uno Consaluo duce, & die Veneris tres, qui Hispanis faustus esse, & idem ille dux in tanta, vel apud hostes, veneratione fuisse memoratur: ut duobus maximis Europæ, Ludouico Galliarum, & Ferdinando Hispaniarum regibus, ad mensam assidentibus, Gallo auctore, tertius iussus fuisset assidere. Ex quo ipso tempore Gallorum vires & auctoritas in Italia minui, Hispanorum utrumq; captum est augeri. Viget enim perpetuò nihil, & in orbem res circumaguntur universæ. Ac ut reliqua etiam

F iij ea, quæ

ea, quæ huius Centenarij initio acciderunt, persequamur : ne verò multum in ijs, licet maximè memorabilibus, quæ Maximilianus adhuc Cæsar ipse, Bauarico primùm, mox & Veneto bello gessit, quæ Ferdinandus Hispaniarum rex nouis regionibus cognoscendis administravit, & ne deniq; etiam in ijs, quæ Pisani in Hetruria, quæ Venetis ad Geredadum acciderint, hæreamus : Carolo annum agente duodecimum, post homines natos cruentissimum ad Rauennam prælium est cōmissum, in quo Pontificis Max. legatus, Leo X. postea dictus, captus, & Fois exercitus Gallorum dux ab Hispanis est interfectus. Insequenti verò anno Moschorum octoginta millia à Polonis & Lituaniis, duce Constantino Ostrogio, sunt fusa. Cuius rei gratia à Leone X. Pont. Max. Romæ publicæ decretae sunt supplicationes. Verùm eo etiam maioribus malis & calamitatibus comparari materia adhuc videbatur. Ac quinquennio quidem post fax à Luthero Vitembergæ est accensa, qua Christianus orbis ferè cunctus deflagrauit. Quod seu quadam contagione, seu errore seculi fortè evenit. Etenim vix non uno eodémq; tempore illo, parum quidem inter se differente, Ismaele Zophi Mahometanum dogma nouis interpretationibus exponente, tanta contra Turcas in Asia excitata est seditio, quanta cum Lusitanorum & Hispanorū in Indijs potentia iuncta, extremum excidium afferre

haud

haud dubiè eis potuisset : sed occasiones neglectæ, & Mahometis Byzantij primùm, deinde Selymi Mamlucorum everso in Ægypto, mox imperium Solimani eius filij, tot ac tantæ impunè de Christianis relatae victoriæ, etiam ijs, qui remotiores sunt, formidabilem Turcam effecerunt. Qui quàm longè etiam magis formidabilis futurus sit, si hac tanta oblata occasione depressus non fuerit, omnes intelligunt : qui habent non modò iudicij aliquid, verùm etiã sanitatis. Sicuti enim supremo gradu lapsis, à medijs ad infima descendus est pronior : sic rursus à medijs ad suprema nō tanta cum difficultate pervenitur. Iam enim videamus, cum annus à natiuitate utriusq; fuisset vigesimus, quomodo Carolus V. & Solymanus Turca imperio potiti sunt : & mox paucis annis elapsis, Turca Hungariæ rege cedendo, alter Gallorum capiendo, nomen suum nobilitarunt. Quanquam Solymanus Taurino primùm, non modò Hungariæ, sed totius Europæ propugnaculo, & demum insula Rhodo Christianissimorum militum sede, quas res maiores ipsius frustra tentauerant, occupandis, Imperium suum est auspicatus. Vterq; certè, varijs locis & temporibus, magna & admirabilia gessit. Ac Solymanum quidē Hungaria annos quadraginta, Carolum V. Gallia triginta ampliùs continuò fatigauit. Quo loco memorabile est, quod de Francisco I. Galliarum rege Christianissimo, & ipsius

matre

us matre circumfertur : cum communia primum cum Turcis consilia habere incēpisset, omni ratione suasse matrem, ne tantam labem suo, & Christianissimi nomini aspergi pateretur. Illo verò contrà reluctante, & consilij sui rationes, cur id minus facere posset, nec deberet (ut fit) afferente, tandem indignabunda mater in hæc verba prorupit, & Deo Opt. Max. talium molitionum vindice, & ipsum, & eius posteros tantò minus felicitatis habituros, non dubitanter affirmavit. Sed ulterius progrediamur. Ac provincia quidem Prussia eodem, quo Carolus Aquisgrani inauguratus est anno, sub Sigismundo I. Poloniæ rege, illi regno est adiuncta, & Sigismundus Augustus eodem regi natus filius, qui continuata serie septimus ex Jagellonibus rerum potitus, gentis & diem suum ab hinc annis decem & octo terminavit. Venio ad Germaniæ tumultus primos, quadriennio post Aquisgranensem Caroli V. inaugurationem, rusticis auctoribus, & Lutherani dogmatis occasione, excitatos. Qui quidem maximas cædes & vastitates patriæ pepererunt. Cum enim omnibus bellis, tum maxime nulla est salus intestinis. Taceo Romam à Cæsarianis militibus, duce Borbonio, direptam, & paulò post Viennam à Solymano Turca fuisse oppugnatam : qui ingenti adducto barbararum gentium exercitu, eò spiritus processerat, ut quædam ipsius copię longius in Germaniam progressæ,

gressæ, apud Vathofen, superioris Austriæ oppidum, profligatæ fuerint. Cogitemus, quid nunc Turcæ, si recollegerint vires, ausuri sint, cum tanta taliq; tum aggredi minimè dubitarent. Taceo illo eodem ferè tempore graues fuisse in Italia motus, & memorabilem Cæsaris Bononiam profectionem, in quam admirabili pompa ingressus, à Clemente VII. Pont. Max. diademate imperiali est insignitus : mox Florentia ab eiusdem exercitu capta, Mediceorum in Hetruria eius beneficio cœpisse principatum : qui virtutum omnium gloria multis magnisq; alijs diu antea præcellebant. Taceo Christiernum Danorum & Suecorum regem, ob crudelitatem tribus regnis excidisse, posteaquam auitæ & Catholicæ religioni nuncium remisisset. Taceo Henricum VIII. Anglorum regem, secus quàm paulò antè, insigni quodam libro contra Lutherum edito, Catholicum regem se professus fuerat, ideòq; defensoris fidei titulum retulerat, hostem religionis Catholicæ se declarasse, & multos præstantes eius religionis assertores, & huius seculi lumina, crudelissimè extinxisse. Secuta est Caroli V. secunda in Italiam profectio, qua per Siciliæ regna & prouincias in Affricam usq; duxit exercitum ipse in expeditionem, & nō multò post Guleta & Tunetano potitus est regno, ad res contra barbaros gerendas oportuno. Verum enimverò rursus illud fratricidium (sic enim est dicendum)

G inter

inter Cæsarem & Galliarum regem est excitatum. Cuius rei gratia, Carolus V. eundem regem, præsentem Paulo III. Pont. Max. & cunctis Christianorum regum legatis, in collegio Cardinalium ad singulare certamen provocasse memoratur, ut hæc nimirum inter eos controversiæ eorum potius morte, quam tanta Christiani sanguinis profusione, terminari potuissent. Erat tum quidem certè rei optimè contra Turcas gerendæ peropportuna occasio. Etenim Zophi Perla Tauris urbem, quam antea perdiderat, Turcis ademerat, & Abrahæ Solymani Turcæ purpuratum maximis cum copijs ad Euphratem profligarat. Fuit & patri cum filijs bellum, & fratribus inter se ipsis, Ottomanico imperio ominosum. Hæc neglecta fuerunt omnia: & naualis contra Hariadenum victoriæ ad Nicopolim parandæ occasio periit, Christianæ classis inter se dissidentibus ducibus, quod hostium vires & animos magnopere confirmavit. Hinc tres nobilissimi totius Italiæ duces, fato infelici & immaturo, brevi post se spatio, sunt extincti: Franciscus Sforzia, Dux ultimus Mediolanensis, & Alexander Medices Florentiæ, ac postremò etiam Petrus Aloysius Farnesius Parmæ & Placentiæ. Gandauum apud se nato rebellavit Cæsari: cuius ille motus, cum non alia facilius ratione, quam sua præsentia, compescere posse se iudicaret, contra omnium eorum, qui ab ipsius consilijs fue-

rant,

rant, sententiam, per dispositos ad celeritatem equos, paucis comitatus, per Gallias iter fecit: & neq; Vascones, qui illo tam diuturno inter Gallias & Hispanias bello, primis ictibus expositi, & eo auctore tot cladibus affecti fuerant, neq; ipsum Franciscum regem, quem captivum tenuerat, veritus, in Belgium venit, rebellésq; suos postmodum castigavit. Tanta autem in illo rege fidei, & hospitij iuris fuit observantia: ut quanquam externis quibusdam rebus se posse multa innueret, ac ingredienti urbem Parisiorum Carolo, suum Franciscum regem captivum Madridi inclusum, in Arcu triumphali pictum ostenderet: nihil tamen præter fidem datam in eum moliretur. Nec tamen multò post, atrox inter Cæsarem & eundem regem, multis simul in locis, bellum exarsit: & in alijs orbis terrarum regnis pugnae fuerunt crudelissimæ, inter Turcas & Germanos ad Essecum, inter Polonos & Valachos ad Obertinum, inter eosdem & Tartaros ad Sertum, inter Hungaros & Turcas ipsos, in eorum auxilium evocatos, occiso præsertim Duce Turcarum, Gritto, Principis Venetiarum filio, & Hieronymo Lasco Syradiæ Palatino Budæ detento. Diceres malorum iam finem fuisse omnium: Imò verò arrige aures, & quid hic centenarius sexcentessimus, dimidio ferè tum iam exactus, monstri aluerit, animo & cogitatione contemplare. Ioanne rege, Ferdinandi regis legitimi

G ij æmulo,

æmulo, è viuis sublato, obfessa est Buda, quam paulò
 idem antè cum nobili regis Matthiæ Bibliotheca diri-
 puerat, ab ipso Turcarum Cæsare Solymano: cæsus
 ingens ad Pestum Germanorum exercitus: atrox in
 regione Pedemontana ad Garigmanum, inter Cæsaris
 & Gallorum copias, commissum est prælium. In quo
 magna quidem utrinq; maior tamen Cæsarianorum;
 militum cecidit multitudo. Ioannes Comes Tarno-
 uius, quo post conditam Poloniam, nemo Polonorum
 ducum seuerior pariter fuit & amabilior, Starodubum
 & Homeliam sub Sigismundo I. Polonorum rege, quæ
 alij reges patrem vocabant, Moscho ademit, & de qua
 paulò antè dixi, victoriam Obertinensem contra Va-
 lachos, reportauit. Tentauit demum Cæsar oppugna-
 tione Alligerium, & ea non satis feliciter peracta, in
 Germaniam reuersus, Ducem Cliuensem à Gallo ad
 arma excitum, accepta Geldria compescuit, & mox
 etiam Virtembergenses motus sedauit. Infinitum ve-
 rò esset persequi, quot quantaq; idem in Germania
 celebrârit comitia, & quos labores exantlârît, cum
 Turcis resistendi, tum religionis componendæ causa.
 Sed qui auita religione prophanata, diuinam spreue-
 rant, etiam Cæsaris ipsius facile contempserunt maie-
 statem. Itaq; Smalcaldico foedere percusso, gestum
 est bellum, quod vulgò appellatur Saxonicum, fama
 magnum, exitu gloriosum, duorum insignium Ger-
 mania

mania principum, Saxonis electoris, & Landgrauij de-
 tentione, memorandum. Quod paulò antequàm
 terminatum fuisset, mirabile præstantium regum flo-
 ruit seculum, ut tantò maiores rerum à se gestarum
 testes & spectatores, non sine aliquorum invidia, sua
 quidè animi cum voluptate maxima, tam insignis ha-
 buisset Imperator. Vt enim filijs parentes, sic magnis
 viris rerum à se gestarum, suos habere æmulos iucun-
 dum est spectatores. Erat autem, cum alij, tum Pau-
 lus III. Farnesius Pont. Max. erat Solymanus Turca,
 erat Franciscus Gallorum Rex, erat Henricus VIII.
 Anglorum, erat Polonorum Sigismundus, Emanuel
 Lusitanorum, Gostauus Suecorum, & Gritus Dux Ve-
 netorum. Quos ferè omnes, sicuti admirabili felicitate,
 sic etiam imperij diuturnitate, Carolus superauit. Et
 ne sui artiumq; suarum dissimilis videretur, ab Hen-
 rico II. Gallorum rege provocatus, Metensis urbis, li-
 cet morbo & ætate graui, tentauit ipse oppugnatio-
 nem, & Senensem in Italia Rempub. memorabili vi-
 ctoria de Gallis parta, suæ effecit potestatis. Quo eo-
 dem ferè tempore inter Mauricium Saxonie Ducem,
 & Marchionem Brandeburgensem Albertum, & rur-
 sus inter hunc, ac Ducem Henricum Brunsvicensem,
 vario Marte in Germania est decertatum. Vidit po-
 stea vel ipse Metensis exercitus sui, & Ænipontano suo
 casu, senescere in se omnia, & vagam illam ac volubi-
 lem,

lem, quam fingunt Poëtæ Deam, orbem suum verfare laltatorium. Itaq; deferere ipsius ludibria, quam ab ea desertus esse videri potius voluit, & paucis annis in Belgio moratus, articulariq; conflictatus morbo, tandem in sacram solitudinem in Hispanias est profectus. Vbi cum reliquum illum actum vitæ summam cum religione exegisset, vidissetq; omnium ferè hostium suorum prius interitum, & illam filij tam nobilem de Gallis victoriam accepisset, in monasterio Iusti, anno ætatis suæ octavo & quinquagesimo, vitam cum morte cõmutavit. Quo post Carolum Magnum nemo potentior, admirabilior, felicior, gloriosior extitit Imperator: nempe qui Solymanum Turcam tanti imperij felicitate & magnitudine elatum, solo penè castrorum suorum fremitu in fugam egit: qui Adriadenum Barbarossam acie devictum, & Tuneti regno exutum Affrica depulit: qui superiorum Cæsarum partim ignavia, partim lenitate, depressam imperij maiestatem pristina restituit dignitati: qui Germaniam, quod ne Romanis quidem ipsis fuerat datum, compescuit: qui Pontificem Roman. & Regem Francorum, qui totius Germaniæ potentissimos Principes duos, Electorem Saxonie & Landgraviū Hesiæ, captivum tenuit: qui orbi nouo lucem religionis intulit, & multis magnificis urbibus, templis, arcibusq; erectis, post conditam Germaniā, Imperatorum primus ultrò

ultrò imperio & religiosè se abdicauit. Venio ad eius filium Hispaniarum Regem Catholicum: qui supra mille quingentos sexto & quinquagesimo anno, gubernaculis à patre Bruxellis acceptis, insequenti anno die D. Laurentio sacro, Gallorum regis ingenti exercitu ad S. Quintinum cæso, ducibus captis, imperium suum est auspicatus. Quo eodem propemodum tempore, ad Teumuillum & Greuolingam, ab ipsius contra Gallos ducibus feliciter quoq; est dimicatum. Quanquam paulò antè Caletum, sub Philippo rege Gallorum olim amissum, hoc eodem Philippo Angliæ rege existente, illud vicissim Anglis se eripuisse Galli etiam gloriantur. Hoc quidem Rege laudando, cui parem orbis non habet, & nescio habueritne aliquando, cui deesse posset oratio? Sed cùm multa & magna alia, tum sanè eius vita me tenet ipsa, ne quod virtuti debetur, auribus illius tributum esse videatur. Qui enim virtutem colunt, invidiæ semper expositi sunt: finis autem eorum vitæ, initium est gloriæ sempiternæ. Tanta quidem Catholici istius regis nomini respondentia sunt opera, ut vel in Belgio saltem quibusdam auctoribus, quorum consilium malum ij fuit pessimum, immensos non dicam profuderit, sed in auita religione & patrimonio suo tuendo, thesauros collocarit. Quibus si contra Turcam, salua Dei Opt. Max. & sua ipsius gloria, uti potuisset, Byzantij iam proculdubio

dubio confedisset. Sed nos ad alia progrediamur, & quid tam ab istius ex Belgio discessu, quam ab Henrici II. Gallorum regis morte, quod utrumq; uno fere eodemq; fuit anno, per Europam acciderit, memoria repetamus. Varia quidem certè, & portentosa passim, & ubiq; acciderunt. Ac tantus, vel in ipsis occiduis regnis, ab ociosis syllogismis profusus est sanguis, quantus post homines natos profusus fuisse non memoratur. Etenim in Gallijs & Allobrogibus excitato motu, tantum in eo nobilissimo regno belli civilis exarsit incendium: ut etiam in regis Galliarum Francisci hoc nomine secundi necem fuerit ab Hugonijs conspiratū. Primū enim rerum & dogmatum nouorum cupidi, Deo ipsi Opt. Max. mox & diuino resistunt Magistratui. Itaq; in primo bello civili Rex Nauarræ Rhotomagum obsidens interficitur. Mox & Santandrias Marsallus, princeps Condæus, & Annas Montimomartius utriusq; partis ductores, partim occiduntur, partim verò capiuntur. Cadit & ipse Dux Guisus, proditoriè occisus à Pultroto. Omnia deniq; toto regno fiunt funesta, & bello, fame, peste miseranda. Iam & Angli iungunt se Hugonijs, & Normannia pervastata, maris portum, vulgò Garcie dictum, capiunt: nec nisi graui inde eiecti peste, tandem excedunt. Eadem malorum contagio pervadit Belgium: fiunt atrocissima utrinq; certamina: urbium direptiones, agrorum vastitates,

vastitates, & multa magnaq; alia funesta & exitialia consequuntur. Neq; verò tantum domestici mali, ambitione quorundam, & naufragio patrimonij excitati, cuius integumento religionis tabulas, secundo populo colligere voluerunt, quatuor clarissimis Regis Catholici in Belgio Imperatoribus, potuit extirpari: Albano Duce primo, mox Aloysio Requesano & Ioanne Austrio, ac Duce Parmensi postremo, qui Herculeos labores ea in re exantlauit. Sub id verò etiā tempus, quo primū quidem Gallia, deinde etiam Belgium, procellis seditionum agitari est cœptum, suas Deo pœnas, dedit Liuania, & ab anno supra mille quingentos octauo & quinquagesimo usq; ad octuagesimū secundum, quo Stephanus Poloniae Rex, princeps immortalis gloria dignus, pristinae libertati eam restituit, continuo à Moscho est divexata. Fuit hoc ipso etiam seculo generale nationum omnium concilium: quod aliquandiu quidem interruptum, tandem praesidentibus quatuor sedis Apostolicae legatis, duobusq; item Cardinalibus praesentibus, Patriarchis tribus, uno & viginti Archiepiscopis, Centum sexaginta Episcopis, Tridenti biennio est celebratum. Iam quid ego nauale ad Zelbas praelium, Turcica classe victrice, quid inter Ericum Sueciae, & Fridericum Daniae Reges, decennale bellum, quid Suendio duce Maximiliani regis contra Ioannem Transyluaniae principem gestas res,

H

& ad

& ad Sabateam de Turcis victoriam partam, commemorem? Quid Moschouiam per immensa terrarum spacia à Turca armis petitam? Quid Gotham ab Augusto Duce Saxoniae captam, deq; Imperij rebellibus sumptum supplicium, percenseam? Quid de Giulla & Segetho, duobus maximis Hungariae propugnaculis, à Turcis occupatis, & interim quoq; de memorabili Caesaris Maximiliani contra ipsos bellica expeditione loquar? Maiora sunt ea certè, quàm non modò mea, quæ minor, quàm mediocris est, sed summa cuiusq; possit enarrare oratio. Taceo verò Sigismundi Augusti Poloniae regis ingenti cum exercitu, usq; ad Radoskouicium Lithuaniae oppidum contra Moschum protectionem. Mitto post hominum memoriã Christianae classis, cum Turcica maximum ad Naupactum praelium. Prætereo Regnum Cyprium cum graui Nicosiae & Famagustæ excidio, in barbarorum redactum potestatem. Minora alia, ut Olchinium captum, Bekeschij cum Stephano rege conflictum, non enumero. Festinat animus ad infausta tria Poloniae interregna. Quæ, quantò quidem quibusdam optatiora, tantò breui post cunctis extiterunt grauiora. His, duobus pariter regibus identidem eligendis, non modò illud regnum, sed vicinae etiam gentes atq; nationes, non parum difficultatum & calamitatum pertulerunt. Secuta est Sebastiani Portugalliae regis clades,

cum

cum multorum Christianorum millium interitu: secutum in Hispanijs Granatense & Lusitanum, in Polonia Dantiscanum, in Moscouia Polocense, Vielcolucense, & Pleseouienne triennale bellum, ab ipso rege Stephano administratum. Secuta in Perside sexaginta Turcarum millium, post urbem Seruã captam, memorabilis cædes: ut alia huic paria, & paulò minora Turcis infelicia praelia taceantur. Iam partim præcesserunt, partim etiam subsecuta sunt, multa præterea alia, diversis in Christianis regnis & prouincijs, cum insigni Christiani nominis detrimento. Quis enim in Gallijs ad S. Dyonisium, ad Moncoturum, ad Druidas, ad Caruacum, in Belgio ad Rosbecum, bis Antuerpię, & in Frisia, in Polonia verò ad Hulam, ad Libischeuum lacum, ad Vendenam, possit non modò completi pugnas orando, verum etiam percensere numerando. Vt interim etiam Tartarorum in Poloniam & in Moschouiam incursiones, prædas & vastitates taceam: ut nihil de tot tantisq; Valachiae motibus, nunc his ejciendis, nunc illis eligendis Palatinis, loquar. Ventum quidem iam tandem est ad annum octauum octuagesimum, de quo multa multorum fuerunt vaticinia, & cuius mensibus singulis memorabiles clades, aut notatu dignæ res facile responderunt. Ex quibus quid adhuc futurum sit incommodi, non magno negotio coniectura capiatur. Ineunte enim vere cre-

briores flores, sunt prænuncij multorum tandem proximè venturorum. Me quidè non piget dixisse, hunc sexcentiesimum post mille quingentos centenarium, cuius annus primus Caroli V. natiuitate fuit insignis, præ cæteris esse admirabilem. Siue enim bello & pacem in eo gestas quis consideret: siue clarissimorum ingeniorum crebritatem videat: siue noua inventa & opificia, & priscis incognitas regiones, non tam passibus quàm victorijs Christianorum perlustratas intueatur: omnia in eo rara, admirabilia, stupenda etiam pene deprehendet. Cedant huic centenario superiora cuncta secula, ædificiorum & munitionum extruendarum artem, & belli gerendi scientiam concedant. Non deniq; æqualem laudis cum ea partem præstantium scriptorū & ingeniorum frequentia sibi sumant. Ecquādo primū quàm à Iulio II. Pont. Max. ad imitationem priscæ olim Romanæ cœptum est ædificari maiestatis? Quando urbibus arcibusq; hostium quantiendis, celeritèr q; conficiendis prælijs, maiorum bombardarum usus, quando Typographica ars cultiùs ad suam (ut ita dicam) perfectionem visa est peruenisse? Fuit horum quidem unum & alterum superiori seculo adinventum, & haud scio, si non multò etiam antè in Indijs typorum usus viguit aliquando: Vtrumq; certè ea nunc est præstantia, ut illa, quæ hac in parte superiori seculo tentata fuerint, his collata risui propemodum

dum esse videantur. Ferunt namq; in oppugnationibus urbium, quoties maiores bombardæ explodi debuerant, voce præconis, ut sibi cauerent, oblectos admonere solitos fuisse: & nescio cui ducum, quòd maioribus bombardis in perniciem humani generis uteretur, abrogare suos munus in Italia voluisse. Quarum rerum fides penes authores esto. Me sanè non modò vox & memoria, verū etiam dies ipsa deficeret, huius seculi artibus & inventionibus nouis per censendis. Cui enim artem cuniculorum à Petro Nauarro, puluere tormentario subdendo, adinventam, cui subtiliorem nauigandi rationem, qua Lusitani & Hispani orientis & obeuntis solis, Angli Aquilonis perlustrarunt ultima, quàm huic seculo acceptam referamus? Quis disciplinam militarem, quàm Maximilianus hoc nomine primus Imperator, in Germania obsoletam correxit? quis doriphoros, quis eorum cuspides adinvenit? Quis quàm Carolus V. Cæsar inuictas Hispanorum peditum in Italia legiones, ut firmam haberet militiæ officinam, per regna & prouincias distributas, in summam existimationem vindicauit. Leuiora prætereo, cum nemini sit dubium, minora horologia, varias sclopettorum rotas, tormentarij pulueris exquisitum usum, & castrorum metandorum rationem rectiùs intellectam, inter huius seculi inventa posse non iniuria numerari: nec unquam antea ferrea, nunquam

torculatoria instrumenta, quàm hoc seculo fuisse præstantiora. Iam verò, si ingeniorum acumen, & disciplinarum ipsarum spectes excellentiam, quis motum cœli & astrorum, post veteres illos, Copernico rectius intellexit? Quæ ætas bello & pace viros præstantiores tulit? Quæ omnium ætatum inextricabiles quæstiones felicius enodauit? Ac ut viuis relictis, paucos in multis, quorû mors extinxit invidiam, memoremus, & singularum nationum armis & literis proferamus lumina: Quis Gonzale Cordubensi, Cordonio, Leua, Alarcone, Albano Duce, Ioanne Austrio, Aloysio Requesano, clarior in Hispanijs dux belli fuit, vel esse potuit? Quis in literis Vega, Paina, Aloysio Granatensi, Dedaco, Conaruiua, Nauarro, Oforio magis in literis excelluit? Italia quidem præstantium virorum fuit semper feracissima. Neq; tamen post Decios, Horatios, Scipiones, Cæsares, & Pompeios illos, quàm hoc ipso sexcentesimo Centenario Triulcio, Piscario, Aluiano, Prospero & Fabricio Columnensi, Marchione Vastio, & Marimani, Ferdinando Gonzaga, Guidobaldo Vrbinæ, ac Filiberto Duce Sabaudia clariores belli duces prodierunt. Quibus doctrina Caietanum, Sadoletum, Bembum, Alciatum, Bonamicum, Sigonium, Victorium, Robertellum, Onuphrium vicissim respondisse, nemo unquâ dubitauit. Quid? Germania, ut magnos in omni ætate habuerit bellatores, nemo certè

mo certè Fraunspergio, nemo Rogendorffio, nemo Comite Salmio, nemo Felsio, nemo Suendio, nemo Rubero, nemo Forembergerio extitit excellentior: ut breuitatis ergò, multos magnosq; alios fileamus. In literis porro & eruditione Erasmus, Eccius, Staphilus, Canisius, & plurimi alij claruerunt. Galli etiam infinitos quidem numerant, præcipui tamen Fosseius, Memoransius Comeftabilis, Dux Guisus Belegarde in armis: In literis, Budæus, Tornebus, Duarius, Genebrardus, Moretus extiterunt. Iam & Angli quidem artis bellicæ & literarum in omni memoria non fuerunt unquam expertes. Quis tamen in armis hoc seculo Ioanni & Iacobo Geraldinis, in literis Ioanni Rossensi, Thomæ Moro, & Cardinali Polo nostri seculi luminibus, par evasit. Hungaria Nicolao Serinio, Georgio Thuri, Melchiori Balassa, Francisco Tahi, Petro Edeordi, Paulo Istfamffi, Francisco Torek, Thoma Nadazdi bellatoribus, literatis Nicolao Olaho, Antonio Verancio, Georgio Prascouicio, Stephano Radfio, Sigismundo Thorda, Ioanne Sambuco gloriatur. Boëmia in armis Stephanum Schlikium, Carolum Zerotineum, in literis Bohuslaum Hassensteinium, Sigismundum Gelenium, Ioannem Dubrauium, Cyprianum Leouicium, suos enumerat. Polonia deniq; regnum, non tam literis claros, quàm in omni ætate egregios habuit bellatores. Hoc tamen Centenario

nario & bello & doctrina admirabiles viri Poloni quidam extiterunt. Et nescio, si Constantino Ostrogio felicior, si comite Tarnouio prudentior, si Sinauio vigilantior, si Meletio animosior inter Polonos fuit aliquando Imperator: Cum & in literis Cardinale Ofio sanctior, Orichonio eloquentior, Patritio elegantior, Gorscio laboriosior scriptor non reperiatur. De aliarum rerum hoc seculo accessione, de pecuniarum ex Indijs in has regiones importatarum magnitudine, de cultu & nitore regnorum, de potentia urbium, de industria municipalium non loquor. Non elegantiam ciuium, non splendorem Principum, non diuitias omnium, non precia agrorum, in quibus tamen nec flumina piscibus, nec syluæ feris, nec terra respondet præteriti æui frugibus, enumero. Saltem illud dico & confirmo, multarum rerum nos defecisse copiam, manere tamen aliquorum insaturatam libidinem, & in eo gradu constitisse iam omnia, ut cum suprâ nō queant, infrâ breui futura credibile sit: et cum tandem venturum, qui ut summa in pace natus, sic eum, qui in maximis bellorum procellis est nascendus, gladio oris sui est occisurus. Cuius interim prodromo Mahomete auctore, quantum calamitatis Christianæ gentes & nationes patiantur, videmus, & cum eius assertor Turca, tantum in Perside habuerit cladis, & nunc domi habeat seditionis, quid ex hac Europæ parte,

nos

nos quoque eum non urgeamus? Quid talem tantamque rei bene gerendæ, quæ rarissimè offertur, negligamus occasionem, motuum quidem in Christianis sedandorum, cum externis gerendis, domestica (ut plerumque fit) bella conquiescant: sed eò magis Turcarum comminuendæ potentia? cuius si nos, ut aliàs, capiet obliuio, illi profectò sui maiorumque suorum moris & instituti recordabuntur, & relictis viribus, in cruore & cinere horum regnorum exultabunt. An verò deest, vel deesset Christianis aliquid, ad hanc tam piam, tam iustam, tam necessariam belli expeditionem persequendam? Habemus Austriacæ familiæ potentiam tantam, quanta haud dubiè est Turcica: & rursus moderationis animi & benignitatis, non iam adumbrata, sed expressa vestigia quâ plurima: sic ut de oppressione aliqua, & intolerabili eorum dominatu, sollicitos esse aliquos operæpretium non videatur. Sæpius enim in præstantibus familijs, maiorum exemplis corroboratam & continuatam virtutem, quàm Neronis quinquennia in peius mutata, licuit numerasse. Atque ut in multis alijs unum tantum Caroli V. Austriaci Cæsaris mansuetudinis exemplum proferam, qui tamen, ut bellator, eius qui cum Marte & castris nihil commune habet, expertus fuisse moris, credi facile potuisset: cuius clementiæ & moderationis fuit, Saxonix Electori & Landgrauio Hellsæ, qui eum imperio deturbare nitebantur,

I

bantur, ac ne titulo Cæsareo dignabantur, pepercisse?
 Quid? Ferdinandus tum temporis Romanorū, Hungariæ Boëmiæq; rex, postea verò Imperator, an pro Hieronymo Lasco, Budę à Ioanne Sepusio ipsius æmulo detento, non sese interposuit? licet Lasco, sæpe & grauiter antea eum offendisset? Quid verò de Maximiliano II. Imperatore loquar? qui Henricum III. Gallorum regem, cui in competitione Poloniæ regni cum Austriaco æmulatio fuit, ex Polonia ad se venientem sic humaniter habuit, ut non modò incolumem, sed etiam muneribus, & omni genere hospitalitatis honestatum, Romanorum etiam ipso rege, & Archiduce Ernesto longiùs eundem comitantibus, ad suos liberè permiserit proficisci. Quem ego audiui dicentem aliquando, cum, an tantum tamq; paucis hospitē comitatum, domi suæ videre sperauisse se interrogaretur: Et vidi, & eo, quo par erat, honore dignatus sum, quandoquidem etiam ille meæ concrediderat se potestati. Magnificam verò vocem, & magno dignam Cæsare, qua non illud, quod licere, sed quod etiam decere seipsum poterat, testabatur. Atq; hæc quidem rara sunt, fueruntq; exempla semper, moderationis animi & mansuetudinis cuiusdam singularis, ut de alijs præstantibus virtutibus, quæ in hac familia, ceu quodam ex perenni scaturienti fonte, fileamus. Sed luscus oculus nãuos cernit potiùs, quàm in quoq; corpore ipsa

ipsa etiam pulchriora. Ac verissimum est illud, quod communi sermone tritum, abiit in Proverbij consuetudinem; Nullam esse inuidiam, quàm ipsius virtutis & felicitatis, acriorem. Quasi verò desint etiamnum ij, qui, si alterutrum eligere eis liceret, mallent fortasse Turcæ, quàm Austriacorum augeri potentiam. Vtinam vicissim his, eorūmq; æqualibus ita succedat, ut bene merentur de Repub. Perspicuum quidem est, magnis & Tyrannicis imperijs, non nisi rursum magnas vires, & moderati Imperij reges, obijci oportere: ut quantum Tyrannidis vel ipsa recordatione animi hominum perhorrescunt, tantum spe moderati magis alliciantur principatus. Malè alioquin semper & ubiq; curatum est, quod à multis curabatur. Ad pacta, & bellorum inter se fœdera firmiter obseruanda, adamantino illo nexu sanguinis, aut arctæ necessitudinis, est fuitq; semper opus. Dispari genere & semine reges, ad tempus etiam societate fœderum colligati, vix memorabile aliquid aliquando effecerunt. Contra unius capitis belluam, non multis caudis bellum indiget sociale. Revoluamus omnes omnium temporum, & gentium historias, & verum id esse, quod ego dico, reperiemus. Ac ut recentiora saltem & domestica afferam, quæ nos quidem mouent, & erudiunt magis: Quid olim inter Carolum V. Cæsarem, & inter Venetos ietum contra Turcas fœdus, firmitatis habuerit,

I ij quo

quo exitu istud etiam postremum inter Pont. Max. Pium V. & Hispaniarum regem Catholicum, ac denique inter Venetos terminatum sit, non ignoramus. Præterita certè ætas, vitæ magistra est subsequenti. Iam verò, quàm maximus & constantissimus sanguinis sit nexus, si nihil unquam nos doceret aliud, vosmet ipsi vobiscum recordamini, quid bello Saxonico usu venit? In eo enim Ferdinandus Romanorum, idemque Hungariæ & Boemiæ rex, Carolum V. Cæsarem suum fratrem, expedita Hungarorum manu contra Ioannem Fridericum, à quibus etiam est captus, oportunè iuuit. Et rursus Carolus V. Marchionem Marimani cum selectis Hispanorum Italarumque auxilijs, sedandis Boemiæ motibus, statim submitit. Sic ut, quod in alijs desideratum fuisset, in fratribus paratum & expeditum fuerit præstò, rebus communibus fulciendis. His talibusque rebus considerandis, Hungariæ, Boemiæ, Poloniæque regnis, aut unum aut eiusdem sanguinis regem præficere voluisse non neminem, quis miretur? Coniunctio enim virium terror & interitus hostium est sempiternus. At ut libet ægrè hanc arenam pro se quisque ingrediatur, præstat tamen in communionem temporum nostra conferre, quàm barbaris socijs aridis folijs triumphare. Quod utinam ab Hungaris maturius fuisset intellectum. Non sanè Carpatho monte, sed Caucaji jugis Turcica rabies à Christianis alijs

dister-

terminaretur. Nam ut multarum Christianarum gentium, quæ in hanc diem Turcis opponi possunt, ea, quæ pro se cuique tribui debent, expendamus: Italo longè à patria constituto, nihil est bellicosius, nihil incommodorum belli Hispano tolerantius, nihil Germano ad statariam pugnam firmitus, Hungaro ad velitandum alacrius, Polono animosius. Et quisquam dubitabit, quàm ægrè exanguis Arabs, nudus Afer, imbellis Asiaticus, luxuriosus Græcus, his tamque fortibus, & exercitatis gentibus nationibusque opponantur? Quibus olim victis, veni, vidi, vici, Cæsar de seipso non dubitavit profiteri. Sunt certè fueruntque semper Europæi populi omnium fortissimi, siue robur animi & corporis spectes, siue scientiam bellandi & usum consideres. Nec aliunde, quàm ex Europa, Alexander Magnus, & Romani orbis terræ prodierunt olim victores. Et ipsum militiæ Turcicæ robur, Prætoriani, constant Europæis. Ac de Alexandro quidem Magno id dici potest, quod non integris quadraginta millibus hominum orbem terrarum debellârit. Germania verò, quæ tantum militis exteris regibus subministrat, Italia, quæ tam populosa est, Polonia, quæ tot equitum numerat millia, num Turcam non pervincant? præsertim, si non expectauerint, ut ille, nunc uno Principe armis terrendo, nunc altero fœdere ad tempus vinciendo, nunc tertio ancipiti contentione distinen-

do, cun-

do, cunctos tandē mittat sub iugum crudelissimæ seruitutis. Ferunt eundem Alexandrum (libenter enim in ijsdem claris nimirum perstamus exemplis) ferunt inquam, non ampliùs quàm septuaginta talenta in militum stipendium, nec nisi ad triginta dies secum tulisse commeatus. Quorsum verò Germaniæ Principibus & urbibus sunt pecuniæ? Quorsum opes, & magnifica supellex Italiæ? Quorsum commeatus, quæ horreum occidentis dicitur, est Poloniæ? si in rem maximè necessariam sumtu tandem destituantur? Bene agitur de centenario, cuius numerus denarius, veluti cautor periculi est imminentis. Quantæ venationibus ociosis? quantæ ad amœnitatem hortis? quantæ ad luxum & voluptatem, epulis? quantæ ad superbiam vestibibus & gemmis temerè pecuniæ impenduntur? Exercitibus verò semel in Turcas ducendis in expeditionem, salute curanda patriæ, incolumitate omnium conseruanda, aut stipendio in milites, aut commeatu necessario careant Christiani universi? Absit hoc tantum à nobis dedecus: Absit ignominia Christiani nominis atq; seminis. Carebunt ij omnes omnibus haud dubiè rebus, qui talem animum, in re tam maximè necessaria & gloriosa, suscipiendum iudicabunt: & nisi hoc tantum mali, quod in venis & visceribus Europæ inclusum est, maturè extirpare nitentur, in summum rerum suarum venient tandem discrimen. Quid? nonne homo

ne homo olim prophanus Fabius, pro recuperandis captiuis hæreditatem suam vendidit? nonne Godefredus Lotaringiæ Dux in bellum Hierosolymitanum tantam, quanta maxima illa ætate esse potuit iactura patrimonij, pecuniam coaceruauit, ut Christi miles & religionis defensor dici tandem potuisset? Quid hodie istorum non fiat, à summis Christianis regibus, etià aliquid aliquādo? Sed nimirum unus spectat alterum, & ferè reperitur nemo, qui ad mouere operi manum velit, si maximè possit: sic ut non multò aliqui muribus, qui catto caudæ volebant alligare sonos, sed nemo eorum præ alijs audebat se vouere primum, dissimiles videantur. Vetus autem est verbum, bella fama constare, semperq; constituisse: & erit cuiquam dubium, si unus vel alter Christianorum principum Turcas armis peteret, plures etiam gentes & nationes, non vi tantum & ferro, sed ipsa belli fama, nostrarum partium futuras, & Christianis regibus bonæ spei plenas, & armis instructas, ultrò obviam occursuras? Proditum memoriæ est, domito oriente, & Babylonem reuersum, Alexandrum Macedonem, légationes omnium gentium apud se habuisse: non tam quidem illarum tantum, quæ domitæ armis eius fuerant, sed & aliarum etiam permultarum. Etenim (ut scriptoris ipsius verbis utar) tantus terror orbem terrarum invaserat, ut cunctæ gentes, veluti destinato sibi regi,

non

non obscure Alexandro adularentur. Quid non speremus nunc quoque similia, Christianis regibus in Turciam proficiscentibus? Eadem nunc quoque rerum & temporum ferè est ratio, & quæ olim nova exempla fuerunt, nunc inter veterum monumèta recensentur. Mea quidem sententia, non tam facillè Bospori & Propontidis limites Christiana classis superaret: non tam facillè occidua triremes, Tyrijs & Alexandrinis se opponerent: quàm omnes Ægei, Adriatici, Ausonij & Ionij maris Insulæ à Turca deficerent, & Christianorum adventantes copias ultrò ipsæ acceptarent. non tam citò Polonicus per Valachiam, Germanicus per Hungariam, Italicus & Hispanicus per Epyrum & Macedoniam exercitus contenderet: quàm Dacæ & Valachi, & omnes accolæ Danubij, Serui, Rasci, Epyrotæ atque Græci, hanc tantam occasionem ultrò arriperent, recuperandæ libertatis. Constans etiamnum opinio est, si post Naupactanam de Turcis victoriam rectà Constantinopolim Christiani contendissent, ea procul dubio fuisse potituros. Magnus namque terror adventantis est hostis, sed maximus victoris. Verum, aut illud quidem in causa fuit, quòd cum vincere sciuerimus, quòd olim Maharbal suo Annibali dixit, nesciebamus victoria uti: aut verò exercitus noster indigebat supplementis. quippe nemini tam feliciter cedit victoria, in qua suos etiam non relinquit Mars aculeos
ali-

aliquando. Quæ ego hoc loco iecirco afferro, ut commemorandis præteritis, futuros errores diligentius caueamus: & animos nostros ad decus & gloriam, non ad luxum & voluptatem, conformemus. Iam quidem tantus erat olim ardor Christiani militis in hostes religionis excitatus, ut Alexio Imperatore Constantino-politano obstante, longis & asperrimis itineribus emissis, in Asiam usque ex Europa penetrarint. Nos verò, qui domi & quasi præ foribus hostem habemus, quid impediatur, nisi, quòd tamen suspicari non possum, ipsimet fortè Christiani? Qui sanè à communione reliqui Christiani corporis, tanquam putida & sanguine carentia membra, vel ea ipsa re, iure segregandos esse se, non obscure declararent. Non enim ulla vel cupiditas habendi, vel dolor iniuriæ tanti esse debet: ut eius causa Christiani nominis & religionis desertores nuncupemur. Iam ergo felicem eum Pontificem, quò auctore hoc bellum decerneretur: felices Reges atque Duces, qui contra Turcas exercitus ducerent ipsi in expeditionem: felices præfectos, Centuriones atque milites, qui pro Christi nomine, & Christiano semine fortiter dimicarent. Est in æterna memoria Urbanus II. Pont. Max. qui tam pium & gloriosum in Sarracenos bellum, in Claromontano concilio olim decrevit: grata est Conradi Suevi Imperatoris Romani memoria, quem in Sarracenos profectum, non hostium po-

tentia, sed Græcorū impediuit versutia: qui eius exer-
 citui commeatus nomine Gibisum cum farina dabant,
 & Christianorum amplitudini in Asia inuidebant: Fer-
 tur ad astra Balduinus, quartus Hierosolymorum rex,
 qui Saladini fugatis ad Ascalonem copijs, longè atq; la-
 tē in Asia imperauit. Nec verò de Ludouico sancto,
 peste in Asiatica contra Sarracenos expeditione extin-
 cto, non de Ladislao Polono ad Varnam, non de Lu-
 douico Hungaro ad Mohaccum à Turcis cæso, ulla ve-
 rustas obmutescet. Altiores radices ea bella agunt,
 quæ non tantum pro libertate, verum etiam pro reli-
 gione & Christo Opt. Max. suscipiuntur & geruntur.
 Neq; verò est (ut aliàs etiam diximus) quòd Turcica
 potentia tantopere nos deterreat, ab hoc tam pio, tam
 iusto, tam necessario in Turcam bello suscipiendo &
 gerendo. Ijs hoc terribile sit, qui Turcicas vires opi-
 nione magis, quàm re ipsa metiuntur. Habuerunt, fa-
 teor, multum in Christianos felicitatis Ottomani. Ac
 ut alios taceam, magnum quid erat Mahometem so-
 lum duo imperia, duodecim regna, ducentas urbes,
 Ottomanorum imperio adiecisse: huius verò nepo-
 tem Selimum Ægyptum & Arabiam subiugasse: pro-
 nepotem Solymanum Rhodum, & magnam Hunga-
 riæ partem, & rursus Selimum istius filium regnum
 Cyprium occupasse. Sed hæc quidem non tam, aut
 felicitati, aut potentiae Turcicæ, quàm Christianorum
 ciuili

ciuili tribuendum est discordiæ. Regnis enim & impe-
 rijs concordia magna fit accessio, intestinum verò dis-
 fidium funus est Reipub. Iam quidem à Naupaeta-
 na Christianorum victoria, torrentis instar, in Turca-
 rum imperio præcipitantur omnia. Ac ut Selimus isti-
 us Turcæ pater, homo fuit nihili, & magis fraude fe-
 liciter, quàm aperto Marte fortiter, Cyprum Venetis
 eripuit: sic & filij ipsius Amuratis infelicissimus est do-
 minatus: quippe qui voluptatibus deditus, ipse exer-
 citum ducere nunquam voluerit in expeditionē. Vn-
 de prætorianis odiosus factus est, & purpuratos mul-
 tos & præcipuos militiæ præfectos amisit in Perside:
 infinitam item Tartarorum multitudinē strenuo equi-
 tatui Persico toties frustra obiecit, ærarium Constan-
 tinopoli exhaustit, & iam noua clade à Persis accepta,
 omnibus ijs, qui vel minimum stipendium merent, in
 Persiam militatum imperauit. Quàm diu, & quàm
 feliciter id facturus sit, incertum est. Illud quidem
 usu & experientia comprobatum, ut res prosperè ge-
 stas principum ipsorum felicitati, sic aduersos prælio-
 rum exitus eorundem infelicitati ferri acceptos: &
 militiæ pecuniāq; crebrò imperatam, odium in vul-
 gus conciliare sempiternum. Ac ne multa: Deest
 consilium domi, foris languet Turcis animus, & tam in
 purpuratis duces, tam in prætorianis veterani milites,
 quàm & in ipsis Ottomanis, pristinae virtutis emuli de-
 siderantur

siderantur Imperatores. Omnia, ut dixi, torrentis instar apud eos præcipitata sunt: quia & Turcicum imperium ipsum, Mahomete teste, qui mille annos ei præfixit, breui videtur præcipitandum. Ac sicuti homo æger non uno aut altero conflictatur morbo, sed tandem concurrunt, qui eum extinguunt, infiniti: sic regna & imperia cum semel labi cœperint, multis alijs & magnis procellis obruuntur. Sed fac in Turcia horum esse nihil, adesse Turcæ copias, & invictas prætorianorum legiones, innumerabilem in Asia exercitum, in Hungaria spectari ipsius equitatum, non audiendas istorum voces, qui hæc verbis extenuant, qui (ut ait ille) in prælia trudent inermem, & quæ ipsi experti cum periculo non sunt, bellorum atq; tumultuum alijs se præstant autores, neq; intelligunt à maiori parte (ut plerumq; fit) opprimi minorem etiam meliorem. Quid? An verò auditum est nunquam, ingentem multitudinem hominum minoribus longè copijs sæpenumero profligari? Quod eò etiam futurum est magis, si, ut Turcica communiter est, multitudo illa incondita fuerit: non enim rarò seipsos impediunt, quàm adiuuant multi vehementius, & primis secundisue perruptis ordinibus, ægrè prælia redintegrantur. Ac ut vetustiora & externa exempla silentio transeantur, ipsorū saltem Turcarum infinita millia, quæ sæpe & minoribus Christianorum copijs profligata sunt, videamus.

Auo-

Auorum nostrorum memoria Hunniades & Scanderbegus, tot Turcarum fuderunt copias, quot vix credibile videatur. Hos Matthias Hungariæ Rex Hunniadis filius subsecutus, Budam suam, non secus ac aliquam contra Turcas perpetuam militiæ Hungariæ habuit officinam, ex qua innumerabiles Turcarum exercitus, tot egregijs ducibus & militibus, ceu ex equo Troiano eductis, proterebat. Nostra verò ætate, quàm nobilis de Turcis illa ad Naupactum relata sit victoria, & quantus Turcarum numerus Viennensi, Melitæ, Segethi, Famaugustæ oppugnationibus absumtus sit, recordamur: ut hoc continuum tredecim annorum in Perside bellum fileam. quibus omnibus non æquè in Turcia tot homines adoleuisse, quàm varijs locis & temporibus alibi concisos constat fuisse. Bella namq; & prælia nundinæ sunt mortis, & certa obnunciatio alicuius conversionis. Verùm si hoc adeò spectetur ipsum, & exercituum robur ac numerus ad pervincendos hostes requiratur, sanè Christianis non defuerunt, ac nec deerunt unquam copię. Vtinam saltem nunc, cum occasio est, non desit animus ex Europa ijs pellendis. Nam ut paulò vetustiora memorem, postea etiam ad nostra tempora veniam, quibus tot ac tanti exercitus collecti, & in expeditionem ducti passim & ubiq; spectabantur: Quid? Annis à Christo nato mille sex & nonaginta in Chalcedonia lustrato exerci-

K iij

tu, sex-

tu, sexcenta peditum, centum equitum Christianorum millia sunt inventa, quæ ad Sarracenos Hierosolyma eiiciendos, ex Europa sunt profecta. Sigismundus vero Imperator, idemq; Hungariæ & Bohemiæ rex, scimus quot, quanta & quàm crebrò auxilia habuerit ex Germanica, Gallica, Polonica, Bohemica, Hungarica nationibus, si aut felicius potuisset, aut cautiùs voluisset signa conferre visus fuisset. Omnes enim, sed maxime bellicæ res altissimo consilio gubernantur. Iam & Sabellicus est auctor, Pio II. Pont. Max. bellum contra Turcas apparante, ex ipsa tantum Francisci familia, triginta millia bellatorum, eorum, quem vulgò vocant, Generalem Pontifici promississe. Quo tamen ipso, diuino cultui & sacris ritibus in Ecclesia peragendis, nihil debebat omnino decessisse. Quid hodie quoq; non speremus maximas copias, bellicosissimas gentes, clarissimos duces, selectissimos milites, si expeditio decerneretur contra Turcas, profecturos? Absumfit Gallia vigesies, Belgium paulò minùs, centena hominum millia, bellis civilibus: cum in Gallia annis triginta quinque, & viginti in Belgio perdurarent. Quid? An longè minori hominù & pecuniarum iactura Byzantium captum non fuisset? Visus porrò olim ad Rauennam ab utraq; parte centum hominum millium est exercitus, ad Cerigmolam quinquaginta, ad Mettim octuaginta, ad S. Quintinum, ad Harlemum in Bel-

in Belgio, ad Moncoterum in Gallijs, circiter sexaginta: & haud scio, si minori numero copiarum Maximiliani Cæsaris contra Solymanum Turcam, in expeditionem ductæ quoq; constabant. Stephanus Poloniæ Rex singulis contra Moschum bellis, quæ per triennium gessit, quos ego ipse vidi, quadraginta millia habuit bellatorum. Vnus horum si Turciam aggredideretur nunc exercitus, ut mea quidem opinio fert, omnes, qui sub Turca sunt, populos, ad capienda arma contra eum excitaret. Sumus enim prouiores ad invidiam, quàm ad misericordiã, & faciliùs inclinosos urgemus, quàm erectos & florescentes laessimus. Verùm enim verò hac & tanta bene gerendæ rei occasione, in communem & hæreditarium hostem uti velle nihil, est admodum parum, & ne ob ingratum animum ablati beneficijs aduersa veniant, metuendum. Deus Opt. Max. cum loqui nobiscum non soleat, occasionibus, quid fieri vel secus velit, præmonstrat. Hominum est, vel rerum temporumq; momenta diuinæ voluntatis intelligere prænuncia, vel diuinitus oblatam rei bene gerendæ occasionem, supina prævaricatione aspernari. Barbari profectò ipsi, posteaquam nobis discordiam imprecari fuerint, & tandem occasionem rei bene gerendæ contra nos nanciscantur, eam sibi elabi non temerè patiuntur. Nos contra, & pro eorum discordia, nostraq; concordia signiter admodum Deum precamur,

mur: & cum offertur occasio, ea abutimur impotenter. Quamobrem non est, quod speremus nos fore alijs feliciores, cum nihilo simus cautiores: & eorum nos cerrò sortituros exitum, quorum facta & exempla imitamur. Quantum quippe fidei & industriæ, tantum pro se quisq; habet etiam felicitatis. At quemadmodum, cum in scopulos impegerit, navis, non ventos aut tempestatem, sed nauclerum potius inculpamus: sic hoc vel illo pereunte regno, non fatis, sed nobis ipsis, qui aut negligentia, aut discordia nostra illud everimus, acceptum oportet referamus. Non enim fatis, sed fatuis malarum rerum & consiliorum euentus adscribuntur. Sed heus tu, dicat mihi aliquis: Bella suades, classicum canis, Varsavici, reges & Principes nostros novis tumultibus & difficultatibus implicare nitere. An verò te latet, litium & bellorum exitus ancipites esse semperq; fuisse: & quò iudicio & ratione aliquis magis caret, eò tumultus vehementius ciet, rerumq; & temporum conversiones concupiscit: Facilius talium rerum initia quæri, quàm exitus reperiri: satis & plusquam etiam satis, in Europa esse motuum & seditionum: tantum abest, ut hoc tam alieno & discordi ævo pacta & fœdera cum Turcis inita abruptantur. Videmus quantæ infidelitates sint in socijs, quàm parum constantiæ & firmitatis in amicis, quanta tarditas & procrastinatio in principibus, socia-

libus

libus in Turcas fœderibus feriendis. Hic fudit ægrè illi, invidet ille alteri: plena simultatum & æmulationum inter eos sunt omnia. Antequam in societatem fœderum cuncti veniunt, primi & periculis magis expositi, non secus ac minores feræ, aliorum instinctu ex latibulis suis egressæ, ab hac tam immani Turcarum bellua conficiuntur. Qui regnorum & provinciarum iacturam facere possunt, in hanc arenam verbis elici se non sinunt: & quantum inter ea, quæ mente effingi, & quæ re & veritate præstari queunt, sit fueritq; semper discrimen, assequuntur. Tu, ut voles, his persuadendis oratione divagare. Cui ego vicissim sic respondeo: Me non pacem odisse, sed bellum pacis nomine involutum formidare. In duobus malis minus semper malum eligi oportere, longeq; præstare, ut apertum bellum hoc potius cum Turca geratur tempore, quàm ut ei respirandi, & recolligendarum contra nos virium facultas concedatur; quippe cum ille sit perpetuus & hæreditarius hostis Christiani nominis & seminis, & tam bellum quàm pacem suis, & non nostris, commodis metiatur. Vnam esse domesticæ quietis & tranquillitatis viam, militaria ingenia bello externo occupare, nihil esse tam stultum, quàm otio consulere, quod sit expers dignitatis. Plerumq; enim accidere, ut utrumq; tandem amittatur: & quod aliquan-

L do recu-

do recusat facere quis sponte, id facit vel invitus necessitate. Amat victoria curam, & qui veterem fert, concitat in se iniuriam nouam. Audet maiora, cui vel semel impunitas est facta. Ac sicuti leui aspersione aquæ ignis non extinguitur, sed eò nonnunquã etiam magis invalescit: sic fit in Repub. tam suis quàm externis, ijs, quæ vel non decent, vel nō licent concedendis. Scæpe enim error momento temporis leuiter commissus, longissimo ipsius progressu, & magna cum difficultate emendatur. Dandam regibus operam, ne ulla vel minima re imbecillitatis eorum vulgò extet argumentum. Potentiæ enim apud multitudinem opinio, auctoramentum in illa est fidei & firmitatis. Ac ut breuiter complectar multa, verè hoc minimèq; arroganter à me dicetur: *Me* regibus & principibus nunquam fuisse auctorem temerariorum consiliorum, aut ineundorum præliorum. Quinimò & ab irruptionibus in urbes tentandis, quæ præcipiti fiebant modo, me dehortatum fuisse in castris Imperatores, & principes ipsos, ne temerè dimicationi committerent se, dicenda in consilio sententia, monuisse. Quæ omnia non à Panico metu, sed ab aliquo, licet minimo, tractandis rebus usu profecta fuisse, qui volet potius existimet. Nunc quidem certè quod aliud dicam nescio, quàm non expectandam contra Turcæ aliam occasionis

sionis tarditatem: maturuisse omnia, & aqua potius, quàm ruina hoc in Europa à Turcis excitatum incendium tandem aliquando obruendum: laboriosiores fore negligentiam, quàm diligentiam, talibus bellis postea administrandis: præstare ut vicini tectum, quàm nostrum tueamur. Ad decus & libertatem, non ad barbarorum seruitutem, natos esse Christianos: aut ergo hanc libertatem tuendam, aut pro Christi fide & libertate patriæ fortiter in acie esse occumbendū. Finis namq; gloriosus, vitæ decor ætatis totius est anteaetæ. Hæc, ego, hæc inquam, isti & æqualibus ipsius breuiter responderem: ætas autem dificeret me, si, quæ in eam sententiam dici possent, cuncta afferrem. Cordati interim reges & principes videant, quātum Reipub. expediat, intentum ad res gerendas habere militem, præcidere omnes causas & occasiones domesticorum tumultuū & seditionum, bellum non domi, sed in hostico administrari, quo ipso animi & ingenij vigor, clientelæ, opes, vectigalia hostilia minuuntur. Inferentibus autem, non propulsantibus bellum, crescit animus & potentia: &, qua maximè fit, ut vel timeant vel contemnant nos hostes, famæ ipsius celebritas pervadit populos & regiones. Scæpe quippe ante ipsa prælia incerto auctore præcurrit nuncius præliorum. Prodidit Bessarion memoriæ auctor grauis & Antistes

L ij peril-

perillustreis, Mahometem Turcarum Cæsarem nō plu-
ra, quā vigesies centena millia aureū nummū
annua habuisse, qui imperium Turcicum, post supe-
riores Otthomanos, in summo fastigio collocarat. Iam
his centum & triginta sex à morte Mahometis annis,
quintus est Turcicus Imperator, cui ut Ægyptus gran-
dium vectigalium seges, ab atauo, Rhodus insula: &
Hungariæ pars ab auo, Cyprium regnum à patre reli-
ctum præterea sit, acceperunt haud dubiè & onera, &
tum fortasse vigesies centenis millibus aureū num-
mū, quā nunc dimidio grandiore ære, plus rerum
& bellorum conficiebatur. Auctis enim diuitijs, re-
rum pretia augentur. Verū ne nobis quidem defunt
Christiani reges & Principes, qui maioribus vectigali-
bus, fortioribus copijs, bellicosioribus populis, præ-
stantioribus omnis generis bellicis instrumentis Tur-
cam antecunt: qui si sapient, (sapiunt autem certè)
hanc tantam occasionem temerè sibi elabi non patien-
tur: ut tandem & ipsi, & Christianus orbis universus
optata pace à barbaris potiatur. Habēt profectò, quod
non modò non deterreat, sed animet etiam in Turcam
Christianos. Turcæ (ut vel idem sæpius repetatur)
Turcæ inquam in omni memoria ad hæc usq; tempo-
ra, ea est belli gerendi continuata ratio, hic à maiori-
bus acceptus mos, hoc perpetuum & quasi necessariū
institutum:

institutum: ut non nisi mensibus quatuor aut quinq;
militem detinere solere, ac ne posse quidem videatur,
tam hominum causa, quā iumentorum ipsorū gra-
tia: quòd alieno anni tempore, cœli inclementia, vi-
ctus paulò mutata ratione, & ista faciliè mutantur,
commeatu magno opus habeant, pestilentia (ut ple-
rumq; fit) in castris obnoxia sint, missionem aliquan-
do ab exercitu milites non expectent, & expectata tu-
multuariè admodum se recipiant, vulnere, & alio-
rum belli incommodorum minimè sint tolerantes,
periculis mortis, non nisi aperta ipsius mortis metu,
in oppugnationibus præsertim urbium, se obijciant.
Quæ nimirum omnia simul collata valde bellatores
impediunt, & Solymani ipsius conatus, qui Imperio
Europæ inhiabat, & qui his difficultatibus ferundis pa-
tientior erat, vehementer retardarunt. Vt enim non
tantum obsessis, & sed & obsidentibus multa nonnun-
quam defunt, quæ utrinq; ignorantur: sic & Turci-
cus, quanquam potens & amplius, nobis nescientibus,
ad conseruationem sui multa in se desiderat domina-
tus. Ac ut breuiter animo collustremus omnia, Asia-
ticos, qui regnis & Prouincijs præsunt, habet circiter
triginta Turcicus Imperator, regunt Affricam tres, ut
Fessam & Marrocum præteream, Europæ, quæ ei sub-
iacet, partem gubernant alioquin infiniti: quòd ferè
L iij singulis

singulis urbibus & insulis diversi præponantur. Quo ipso gravissima furta, & peculatus à Turcicis præfectis & quæstoribus committuntur, nec unus quidem alteri, cum efflagitat res, potest, & interdum etiam vult ferre auxilium, regnis, quæ in Mahometanorum potestatem veniunt, rebus omnibus spoliatis, & immensis locorum inter se spatijs disiunctis, vigente deniq; quæ inter æquales semper viget, inter Turcas etiam invidia, & tam in Hungariæ & Misæ, quàm in alijs etiam præsidij multis, hoc Perfici belli tempore insertis tyronibus, & prætorianis ascripticijs infinitis: sic ut in Turcico imperio tanta, quanta nunquam antea extitit, mutatio facta esse videatur. Quanquam enim ab anno supra mille quingentos octauo & septuagesimo, & in Media, & in maiori Armenia, & ad Georgianorum fines, & in Persarum ipsorum ditione præfecti Turcici constituentur: magis tamen dicis, vel terroris causa, quàm tantæ alicuius accessiois ergò id factum deprehendas. Hominum quippe iactura graui, locorum multiplicium longeq; maximè à se distantium, congerie, leuis fit accessio omni imperio, præsertim verò impotenti. Quare, cur tot etiam Christianis regibus & Principibus, tot gentibus & nationibus, formidabile illud ipsum imperium etiam esse debeat, non video. Ac uno verbo, quod sentio dicam, in magnas angustias

stias redigere Turcam Harbandæ rex Persarum potuit Mahometes. Quid non possint, si velint, contra eundem Christiani animis concordēs, copijs fortes, iuncti viribus, societate fœderum, nexu religionis inter se colligati. Mahometes primus auctor sectæ suorum omnium, qui iam instant, mille annis dissiuit Principatum. De Gog & Magog, quorum nomine Turcæ intelliguntur, in fine mundi interitu multa multorum sunt vaticinia. Buda capta, magni quidam nominis Turca pro Solymani principis sui amplitudine, qui apicem gloriæ vatum oraculis aureum pomum contigerat, ultrò se de rupe præcipitavit. Quartusdecimus Otthomanorum, quem superare debeat, nemo hic numeratur. Ab occupata Constantinopoli Centum quinquaginta, à Hierosolyma in Mahometanorum potestate rursus redacta, sunt anni quadringenti: quibus omnibus impletis, Mahometani dominatus finis futurus iam pridem prænunciatur. In quo igitur posita sunt reliqua? nempe in Christianorum regum, principum, gentium, nationumq; concordia, quam doctrina Evangelij docet, ratio suadet, necessitas urget, noua & vetera præmonstrant exempla, Græca, Latina, Barbara monumenta, talibus rebus & occasionibus salutem & dignitati Reipub. fuisse testificantur. Est certè duorum Græcorum exemplum memoratu dignissi-

dignissimum, qui cum diu multumq; inimicitias inter se mutuas aluissent, tandem suscepta publica legatione, omnia deposuerunt odia, ne quid priuatis eorum inimicitijs detrimenti capisset Rel. pub. Christiani, qui auctore Christo Opt. Max. pacis & concordiae studiosissimi esse debent, hac tanta legatione religionis tuenda ad sacrum fontem suscepta, tanta occasione rei bene gerendae arrepta, ne quid amplius eadem religio detrimenti capiat, ne barbarus hostis libertatem, vitam, liberum coniugumq; ipsorum salutem, eis eripiat, à domesticis tumultibus non quiescant? non priuata odia, non dissensiones, non arma contra se ponat? non Christi Opt. Max. & suos hostes ad ruinam inclinat persequantur? Hoc nimirum, hoc esset bellum fama gloriosum, beneficio gratum, omnibus omnium gentium annalibus inserendum: hæc legatio, quam nulla unquam ætas, nulla vetustas, nulla obliuio obscuraret: hic tam latè patens & diffusus campus virtutis, & fortitudinis exercendae. Nulla quippe fortitudo est maior, quàm obliuisci suas, alienas verò strenuè persequi iniurias. Iam quidem eo devenit res, ut si tot tantarumq; rerum & prouinciarum, ad Turcas amissarum nos non pungeret dolor, si nulla tot cladum, tot cædium, tot stuprorum à barbaris, patratum nos excruciet memoria, saltem illa, quæ subituri adhuc

huc sumus, excitent & commoueant nos mala, si, hac bene gerendae rei occasione neglecta, in eorum, qui omnium crudelissimi sunt, fuerintq; semper, seruitutem incidemus. Extant multae multorum historiae veræ, de Mahometanorum immanitate passim sparsæ, sed ut, veteribus exemplis omisissis, recentiora saltem pateant, quæ à Constantinopolitana expugnatione, varijs locis & temporibus, crudelitatis suæ vestigia expresserint, memoria percurramus: Constantinus Dragazes non sufficebat, quod esset interfectus, Imperator: verum etiam caput ipsius hasta transfixum per castra Mahometis Turcæ est circumlatum. Templum illud Sophiæ Iustiniani Cæsaris opus, toto terrarum orbe mirandum, subito est prophanatum, dirutæ aræ, incensæ imagines, sacerdotes occisi, constupratæ primùm, mox etiam in frustra dissectæ nobilissimæ virgines & matronæ, & nullum non adhibitum genus barbæræ & inauditæ crudelitatis. Primùm enim alios, ipsam etiam postea se auct Tyrannis superare. Age, Festianis Principibus, nonne eruti sunt eiusdem iussu Mahometis oculi? nonne infinita puberum in Lesbo multitudo palo est transfixa? nonne Bossinæ rex, qui salutem pactus, suo cum patruo sese dederat, ab ipso Mahomete Turca crudelissimè est interfectus? Taceo Moncastro à Baiazette Mahometis filio dedicatione accepto, nihil eorum, quæ promiserat esse seruatum,

M tum,

tum, & ultra quingentas Moncastrensiū familias Byzantium fuisse abductas in seruitutem. Taceo Selimum Baiazettis rursus filium, & interfectorem truculentissimum, Vstarabim patris medicum, quo auctore veneno eum sustulit, & imperator ipse evasit, statim, ut patrato scelere ad eum venit, occidisse, & nihil eorum, quæ illi promiserat, seruauisse: quod non tam odio prodicionis, quàm perpetua ipsius animi impotentia, factum fuisse credebatur. Taceo Solymanum, qui, ut Otthomanis alijs moderatior habebatur, filio tamen suo non pepercit, & Abraymum socerum, & consiliorum omnium suorum conscium, leuem ob suspicionem, & falsam fortasse, manu sua interemit. Taceo Selimum eius filium, sagittis conficiendis suis familiaribus pueris, cum inebriabatur, crudelissimum fuisse: & hunc Amurathem eius filium quinque germanos fratres, adepto statim imperio, è viuis sustulisse. Quis igitur istis fidat? Quis se concredat? Quis in eorum fœdere & amicitia, si fœdus & amicitia, & non insidiæ potiùs dicantur, conquiescat? Quis suas maiorūq; suorum non vindicet in ijs iniurias? Quis nomen & numen diuinitatis tantis probris & contumelijs à Mahometanis affici patiatur? Miserum me, qui vix aliquid fortasse dicendo apud vos proficiam: sed vos miseriore, qui eò etiam magis animos vestros his audiendis obduratis. Tua quidem Christe

Opt.

Opt. Max. nunquā lædi maiestas, nec imminui potest gloria, quam nulla non intuebitur æternitas, & omnes omnium gentium, temporum, sexuum, conditionūq; literæ & linguæ decantabunt. Nos tuo indignos nomine, nec rectè Christianos appellari, qui cum nostras persequimur, tuam tam atrocem non ulciscimur iniuriam, non hæreditatem tuam sanctam, sepulchrum illud gloriosum, Palestinæ loca salutis nostræ mysterijs plena, in pristinam illam asserimus libertatem. Non tulit Phinees adulterium Sambri, non tulit Matathias sacrificantem idolis Hebræum; nos impium Mahometanū dogma, impuros sacrilegōsq; Turcas, tot in Christum ab ijs profectas contumelias, agrorum nostrorum vastitates, hominum infinitorum cædes, regnorum interitus perferamus? Te ego appello Sexte V. Pont. Max. te inquam appello beatiss. pater, zelo religionis magnum, iusticia clarum, omnium virtutum genere & sanctimonix exemplis præcellentem. Quid, ut olim Eugenius hoc nomine quartus Sigismundum Imperatorem, Nicolaus V. Scanderbegum & Huniadem, Pius II. Matthiam eius filium Hungariæ regem, tu quoq; Christianos non excites reges, ad arma in nostros & Christianæ religionis hostes fortiter capienda? Et quando maior & potior illis, quàm hodie nobis de Turcis triumphandi se obtulit occasio? Quando post hominum memoriam,

Turcico imperio, auctoritati, potentia, plus est detractum? A quo Pont. Max. ut belli tam sacri & necessarij auctor esset, quàm abs te vigilantissimo pastore, id magis est expectatū? Permouebuntur tuo omnes exemplo, parebunt Catholici imperio, omnes à ciuili temperabunt sibi dissidio. Non uolet pristinae virtutis obliuisci, & ad mœnia Viennæ iterum expectare Turcam Germania: re & nomine, ut semper, regem suum Catholicum præstabant Hispania: Christianissimi titulum nolent opinor amittere Gallia: Polonia quidvis aliud, quàm de seruando insidioso foedere, cum seridorem agi uiderit, cogitabit. Veneti, Italiae decus, & reliqui omnes Christiani reges, Dynastæ, principes, ad hunc unum omnium & hæreditarium Christianorum hostem ex Europa exterminandum accendentur. Cedet tandem, quæ eius fidelibus debetur, Christi Opt. Max. hæreditas: ex luporum faucibus, culmen Christiani nominis, liberabitur Hungaria: caput imperij Græci Byzantium, in pristinum statum erigetur: Epyrus, Macedonia, Peloponesus & Cyprus nuper capta, tot tantisq; concussæ malis, demum aliquando quiescent. Videor ego mihi videre, proposito die illo, quo ad tam sacram & gloriosam militiam erit proficiscendum, propè innumerabilem equitum peditumq; numerum undequa; concursurum. Qui nihil non laborum sustenturi, nihil non periculorum adituri, nullum

lum non genus mortis & cruciatus alacriter subituri pro Christi Opt. Max. gloria, sociorum salute, sua ipsorum iudicantur libertate. Fortes enim pio instituto militatum domo egressi, non tam passibus, quàm uictorijs cuncta peragrant. O lætum & feliciter illucescentem tum diem illum, memoriq; mente perpetuò recolendum, quo tam pia & gloriosa militiæ fieret initium, quo libera ancillæ iugo liberaretur, quo tot Christianæ gentes atq; nationes, redirent ad suos postliminio, quo non ampliùs Turcam seruirent seruitutem, quo Deo Opt. Max. liberatori suo grates agerent, quo ipsius diuini nominis & numinis laudes in suis templis & Ecclesijs sonarent. Quorum ut audiat querimonias, inspiciatis vulnera, excitemini lacrymis & lamentis, idem ille vos hortatur Deus Opt. Max. monet pietas, pericula communia urgent, ipsi supplices manus vobis tendunt, & tanta deniq; rei temporis & occasionis momenta & opportunitas maxima, sociorum salus, Christiani nominis decus, amplitudo requirit

Reipub. ut cum adhuc omnia vobis adsunt, vosmet ipsos vobis ne defuisse ostendatis.





